NOTITIA IURIS BELGICI, AUCTORE FRANCISCO ZYPAEO I.C. PROTONOT. APOST. CANONICO, ...

Frans : van den Zype




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 B
47


NOTITIA
IVRIS
BELGICI,

AVCTORE
FRANCISCO ZYPÆO
I.C. PROTONOT. APOST.
Canonico, Officiali, & Archidiacono.
Antuerpiensi.

EDITIO SECVNDA PRIORI EMENDATIOR.



ANTVERPIÆ,
apud HIERONYMVM VERDVSSIVM.
M. DC. XXXX.



SERENISSIMO

PRINCIPI

ERDINANDO

S.R.E. CARDINALI

HISPANIARVM

INFANTI.

DVm ad felicissimum aduentum Tuum, Serenissime Princeps, singulis in ciuitatibus, vrbibus, oppidis, locis Belgæ concurrerent, rsonantia vndique vota perstreperit, festiui ignes struerentur, spectala, pegmata, arcus triumphales exci-



tarentur, atque in his Maiorum Tuorum ſacræ memoriæ, ſtatuæ, imagines apparerent, Ferdinandi, Alphonſi, Maximiliani, Caroli, Philippi, aliaque grandia id genus nomina; atque in primis ciuitas iſthæc Antuerpienſis eximios præ ceteris faceret apparatus; Occupabar Ego legendis colligendiſque Maiorum Tuorum Belgij Principum legibus, edictis, conſtitutionibus: quibus olim publicam hanc Rem magnam fecerunt, ſtabiliuerunt, ſartam tectamque ſeruauerunt. atque ex illis, vt alij ſerta ex floribus, Librum iſthunc conſerui, quem inter concurſantium turbas Ser.^ma C. T. gratulabundus offerrem. In legibus ſuis viuunt, atque reſpirant Maiores Tui, coluntur que non minùs quàm in imaginibus oſtentati. coluerunt ipſi illas non minùs quà pace, quàm

quàm arma quà bello inclaruerunt. vti iam pridem inter iura receptum fuit Principum Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed & legibus oportere eſſe armatam. Tulerunt porrò eas prout huic orbi Belgico, climati, genioque idoneas, vtileſque eſſe compererunt. neque enim leges eædem omni genti conueniunt, ſed pro variis affectionibus populorum temperandæ ſunt. ſiquidem in legiſlatione primum punctum obtinet interior cognitio regionum, ſicut in medicina morborum cuiuſque notitia. quemadmodum enim calida frigidis, frigida calidis curantur; ita leges aliæ aliis geniis populorum, vt pharmaca, ſunt proponendæ. Fecerunt id Maiores Tui, Belgij Principes, climatis, genij, affectuum, morborum, remediorumque Belgicorum gnariſsimi.

mi. quorum ideò leges venerari nos oportet, tamquam Deorum, vt Demosthenes vocabat, inuentum ac munus; &, vt Chrysippus, Reginas, Præsides, Duces. Sed enimuerò Reginæ hæ leges in comitatu etiam habent pedissequas Consuetudines: validas ex affectibus populorum; ob quos præ legibus ipsis mores valere leges ipsæ voluere; nisi his expressè per illas derogetur. quare & Belgicos mores serto meo inserui. Ius illud voluntarium est, præ alio omni generatim gratum vtentibus. Leges imperio consistunt, consuetudo omnium assensu: illæ tabulis, columnis, membranis custodiuntur; hæc in omnium animis: illæ aliquam videntur ex præscripto irrogare speciem seruitutis; consuetudo aliquam adfert imaginem liberorum.

Maiores teſtatur Cicero ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe: quando ſcilicet neceſſe eſt plus temporibus parere, quàm moribus. ſed & quando inter arma ſilent leges, ſæpè tamen vim retinet conſuetudo: quippe quæ viuos mortuoſque aduerſus legum acerbitatem plurima in bello potiri etiam facit humanitate. Quare, ad quem modum Bias eum optimum Principem eſſe dicebat, qui ſecundùm patrias leges gubernaret: ita & D. Auguſtinus id planè verum eſſe, rationem quidem & veritatem conſuetudini eſſe prę ponendam: ſed cùm conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportere firmiùs retineri. nihil eſt quo ſeruato populus gaudeat magis: nihil quo turbato, indignetur magis, aut irritetur. Inde Machabæi pueri dum ſe inuicem

ad

adhortantur ad ſuſtinenda Antiochi tormenta, ſacra omnia cõteſtati, patrias leges vocitabant. & Antiochus filius, non ex pietate, ſed politico dumtaxat reſpectu, Iudæorum gentem volens eſſe quietam, iuſsit templum eis reſtitui, vt agerent ſecundùm maiorum ſuorum conſuetudinem. quies ergo & tranquillitas gentium conſuetudine continetur. ita vt quibus habenæ populorum traditæ ſunt, ſi pacatos eos atque tranquillos deſiderant, mores inſtitutaque maiorum inconcuſſa eis relinquant oporteat; vtique ac frui conſuetudinibus ſuis inueteratis permittant. Quod iuris auctoribus adeò fuit perſuaſum, vt & Vlpianus, Proconſulem inſtruens in ſuam prouinciam proficiſcentem, moneat ingreſſurum etiam hoc obſeruare oportere, vt per eam partem prouin-

uinciam ingrediatur, per quam ingredi moris eſt; eò quòd magni faciunt prouinciales ſibi ſeruari etiam iſtam conſuetudinem : &, quas Græci epidimias appellant, vt obſeruet, accedendique modum olim conſuetum. vt Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſit Proconſuli neceſsitatem impoſitam per mare Aſiam applicare, metropolimque Epheſum primam attingere. quinimò inſuper vt patiatur commendari ſibi ciuitatem, in quam aduenerit, laudeſque non grauatè audiat, cùm honori ſuo prouinciales id vendicent, & ferias det ſecundùm morem & conſuetudinem, quæ retrò obtinuit. Vt conſequenter monito Iure-conſulto-politici comprehenſum ſit quòd Ser.^ma Celſ. T. patiatur honores eos ſibi ingredienti in ciuitates

deferri, qui Moderatoribus Belgij more maiorum soliti sint exhiberi, vrbes sibi commendari, ferias dari: Liceatque etiam eapropter mihi sperare, quòd corollam quam ex edictis, placitisque Principum Maiorum Tuorum, moribusque Belgicis composui, illiusque nomini sacraui, non grauatè sit inspectura non tantùm, sed & gratam acceptamque habitura. Ita prosperet Deus magnos conatus Tuos, atque victorias Tuas, quibus Germanias illustrasti, in Belgicam porrò extendat, aduersus eam gentem quæ symbolizat cum iis, quas olim Dominus dereliquerat, vt erudiret in eis Israëlem, vt discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Sed vt sæpiùs imminentibus hostium periculis Ducem aliquem

quem excitauit Deus, qui erueret Israëlem; Ita spero; voueoque Serenissimam Celsitudinem tuam è cælo ad Belgas destinatam, vt non tantùm eos seruet, inimicas gentes debellet; sed &, quod Isaias inter diuina elogia non vltimum retulit, æternùm apud posteros audiat PRINCEPS PACIS.

SERENISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Obseruantissimus cliens

FRANCISCVS vanden ZYPE.

LECTORI.

DEdimus pridem Iuris Pontificij noui Analysim: &, nisi nobis affectus & amici imponant, non sine aliquo fructu. Cùm porrò Iuris etiam Belgici, quod ex moribus & Principum constitutionibus, præsertim nupero sæculo editis potissimum natum est, Notitiam nobis descripsissemus; visum est, etiam illam publici Iuris facere: vtinam publico fructu! eò enim studia omnia nostra ferri oportet. ita siquidem Reip. nascimur. Id saltem sperare iubemur, vt, si viam non tritam minùs feliciter præiuimus; habeamus aliquando, qui eamdem complanent, exactiorique cothurno magis prosperè decurrant.

IN-

INDEX
TITVLORVM
LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

De

De

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER VII.

LIBER VIII.

LIBER IX.

LIBER X.

LIBER XI.

LIBER XII.

NOTI-

NOTITIA IVRIS BELGICI.

INTRODVCTIO.

BELGARVM ius hîc dicimus quod sibi habent à Principibus constitutum, aut obseruatione domesticâ introductum. Eius Notitiam crassa Minerua traditurí sũmatim indicabimus edicta Principum, & mores vernaculos. Quoniam ergo frequens hîc mentio erit edictorum, constitutionum, ordinationum, placitorum, decretorum, rescriptorum (quæ omnia nomine edictorum comprehendemus, & cùm citanda erunt elemento E. signabimus, sicut ea ex Digestis & Codice indifferenter sub elemento L. allegari solent; & quò faciliùs ea fiant obuia, dedimus Seriem Edictorum ex ordine temporis ad bina Placitorum impressa volumina, libros, & rubricas relatorum) tribus verbis præmonendũ putauimus, aduertendum semper esse ex inscriptione, iisque quibus initio salutem dicant, & in epilogo executionem mandent, an constitutio sit generalis, an prouincialis, an specialis territorium, locorumque singularium, magis in formam statuti aut priuilegij, quàm legis communis edita; nam pro ea ratione illius virtus porrigitur: an in formam legis, edictique perpetui, an ad tempus, an per prouisionem, & donec aliter statuatur, lata; an alia illius puncta perpetuò, alia ad reuocationem prescripta: siquidem per prouisionem lata faciliùs tolluntur, perpetua

porrò per non vſum non abrogantur, ſed contrarium vſum, eueniente caſu. vt Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 52. iudicatum Curiæ Mechlin. refert. penes quem, dum ſæpiùs eum citamus in hoc Opere, fides ſit rerum iudicatarum; in quas quidem inquiſiuit, non ipſe interfuit, nec Curia ratas hactenus habet vt deciſiones. interim lex & ratio ab eo producta inſpicienda eſt.

Inquirẽdũ eſt inſuper quę in proœmio ratio impulſiua, quę finalis legis cauſa præmittatur, quæ legiſlatio quid permittat, iubeat, vetet; quâ qualitate legiſlator loquatur, & quibus, & quâ qualitate. Si omnibus ſalutẽ dicit, plerumque generalis lex eſt: & ad finem Conciliis omnium prouinciarum publicatio & executio iniungi ſolet: mandata prouincialia Præſidi & Concilio; ſtatuta & priuilegia iis, quos concernunt, inſcribi ſolent.

Rurſus ex proœmio, & cauſâ finali conſiderandum eſt, an belli forſan ratio, vt ſæpè fit, legi cauſam dederit; quæ cùm ratione pacis tempore ceſſet, *l.* 1. *C. de caduc. toll.* pax quidquid hoſtile eſt tollit; amneſtiam vt factorum, ita legum hoſtilium adfert. alioquin durat lex, quamdiu anima legis ſpirat.

Denique ſemper animaduertendum eſt, an lex prioris iuris ſit declaratoria, an noui poſitiua: illa ad priora porrigitur, hæc futuris & nondum perfectis dat formam negotiis: illa declarationis verbo, hæc præcepti, prohibitioníſve in poſterum, poſthac, deinceps vti conſueuit.

Solent etiam condendis legibus Principes noſtri præmittere conſultationes cum ſuis Conciliis, iuxta *l.* 8. *C. de conſtit.* plerumque ſupremis; publicationem autem omnibus prouincialibus, vt dixi, in epilogo iniungere. quæ etiam antequam illa fiat examinare ſolent, an Iuri patrio lex non refragetur, & poſt illud examen publicationis mandatum primipilari apparitori, ſeu Oſtiario dare. iuxta *ar.* 221 *Inſtruct. Cur. Holland.* ſicut Cõcil. Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 5. 6. diplomata Romana ante executionem ab Ordinariis locorum examinari iubet, & ad quem modum litteræ Placiti Regij hîc obtinentur ſuper prouiſionibus beneficiariis Româ productis. Et valdè huiuſmodi examen in mandatis

datis pœnalibus ante executionem requiritur.*l.si vindicari.C.de pœnis.* si quid fortè iratus Princeps scripserit.

——— *Dà tempus ac spatium tibi:*
Quod ratio nequit, fortè sanabit mora.

Ea hîc publicatio est semper necessaria in singulis Prouinciis (quòd vnitæ quidem omnes sunt, saluo singularum iure, adeoque nullæ alteris subiectæ) singularumque metropolibus, tametsi plures sint; vt in Brabantia, Louanium, Bruxella, Antuerpia, Siluaducis; in Flandria, Gandauum, Brugæ, Ypræ, aliæ alibi. ante hanc promulgationem lex non solet obligare. Quinimò ne non vsu intereant leges, iuxta *l. de quibus. in fin.D. de leg.* solent edicta, cùm Principi Conciliisve videtur, iterùm publicari, iuxta *l. rem non nouam. C. de iud.* qualia extant hîc multa edicta priorum confirmatoria, & innouatoria. Quin & in iisdem legibus mandari nonnumquam solet, vt certis temporibus publicatio iteretur, vt nupera edicta de moneta, publicationem singulis trimestribus renouandam præscribunt.

Enimuerò solent quandoque Principes adiicere præter finalem clausulam Regiam, *Quia nobis ita placet*, clausulam, *ex certa scientia, & potestatis plenitudine*; quæ vtræque legis auctoritatem neruosè stabiliunt, & subditorum obedientiam obstringunt, plerumque in rebus claris, atque indubitatis.

Vndè sanè in rebus certò constitutis non facilè abstinere oportet à legis præscripto quasi desuetæ. *Non enim decenter leges ferre summo bono est tantum, sed etiam sancita accuratè custodire, & ad effectum perducere, temeratoresq́;, & transgressores competentibus pœnis subiicere. Quæ etenim legum erit vtilitas, si in litteris dumtaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque opera vtilitatem de se prebeant?* Iustinian. *Constit. de Prouin. Presid.*

Porrò in aliis insolitis nonnumquam solent adiicere clausulam, *reseruatâ nobis facultate interpretandi ordinationem, moderandi, augendi, minuendi.* Ex prioribus non facilè molestandi sunt Principes, dixi in *Iudic. l. 3. c. 11. de relat.* sed leges per leges explicandæ: in secundis cùm inaudita se offert difficultas, benignè

adiri se Principes patiuntur, beneuolè responsa dant interpretando, moderando, augendo, minuendo, quæ suprema lex, & salus publica exigit.

In rebus quarum natura ex temporum circumstantiis variatur, sæpè posteriores leges feruntur, quæ prioribus derogant, cùm superuenit causa, quæ si occurrisset primo legislatori, eam fortè legem non tulisset. Plenæ sunt Authenticæ Iustinianææ: & in rebus dubiis atque ambiguis ideò solent Principes adiicere clausulas, *per prouisionem*, *ad reuocationem*, *donec aliter statuatur*, *&c.* Temporum igitur opportunitates, quod ad salutem publicam rogatum est, faciunt, vt ob eamdem abrogari debeat, sæpè generatim, sæpiùs per priuilegia speciatim.

Sed & hæc ipsa frequentem patiuntur abrogationem: si quod in vtilitatem publicæ considerationis concessum est, incipiat vergere in nimium damnum. *c. suggestum. X. de dec.* si Principatum aut *domanium* nimis imminuant, successores non ritè concessa frequenter in pristinum statum reuocant, vt olim multa hic à Maria Burgundica minorenni Principe extorta priuilegia, multùm nimis ex Pricipatu petentia, per successores abrogata sunt: alioquin si huiusmodi causa non suadeat, decet beneficium à Principe concessum, esse mansurum.

Sed neque potest Princeps priuilegium reuocare quod transiit in formam contractus, siue cum extero, siue cum subdito initi, siue in cuius causam voluntariæ operæ, collationésve præstitæ sunt, donationésve remuneratoriæ; quando hæc præstita sunt Principi in rem publicam, defensionem, vindictámve reip. bello aut pace, non verò in gratiam personæ dumtaxat: nam priuata obsequia separanda sunt ab obligatione Status publici. In hanc veniunt successores Principatus, quamuis non hæredes personæ(vt solent regna successorium ordinem quidem habere, non tamen successionem hæreditariam:) ideoque quæ ex re Principatus facta sunt, successorem obligant. vt pleraque harum ditionum priuilegia meritis, sanguine, ære magno obtenta sunt. Qua de re diximus *in Iudice l.3.c.1.* Sed neque ex

ex facto apud nos hoc rectè disputari potest, cùm omnes Principes in inauguratione priuilegia semper confirment. Et tamen nec est indignè Principatus habendus. Siquidem Principem conuenit publicè priuatimque esse liberalem. adeoque quamuis aliqua priuilegia sunt ex simplici liberalitate concessa, numquam decet ea reuocari, nisi modum excedant, Principatumque grauiter lædant: præsertim si obsequia aliqua præstita aut prestanda, respectù quamuis personæ, causam dederint. Etiam Principatus interest non vilipendi personam Principis, quasi quæ non possit, nisi ad vitam bene facere.

Enimuerò quid si ipsis Ordinibus Princeps priuilegia cõcedat? Ipsis quidem præstatur iuramentum à Principe de non minuendo Principatù. *c. Intellecto. X. de Iureiur.* An igitur ipsi possint in suum fauorem promissa remittere? sanè apud nos ex Ordinũ consensu pagi, villæ, prouentus dominici subhastantur, & oppignorantur; neque hactenus irritantur. Idem ergo in priuilegiis Ordinibus concessis admittendum est. Quoniam sicut in voluntariis potest quis auctor ipse esse in rem suam, *l. si Consul. D. de adopt.* dummodo causá etiam aliqua subsit, non aperta prodigalitas; ita multò magis Ordines vt quilibet possunt sibi promissa remittere.

Quòd tamen diximus non posse Principem abrogare priuilegia, in formam contractus data, intelligimus vt id pro lubitu solo atque arbitriò non possit. ceterùm si publica nonnũquam salus aliud exigat, aliter dixerimus: vt res etiam singulorum publicæ necessitati cedunt, si pomeria, si vrbis muri prorogandi sunt, si castra metanda, si munitiones extruendæ sint; si quid aliud exigat solutâ lege necessitas.

An verè consuetudini derogare Princeps possit, præsertim in Brabantia, vbi se inueteratos vsus sartos tectos seruaturum promittit, quærit Kindschot. *tractat.* 1. *de Brabantia c.*4.5. & sane edicta plurima eiusmodi clausulas habent, quæ ea seruari iubeant, *non obstantibus consuetudinibus*: neque dubitari potest, quin Principi liceat abrogare cõsuetudines locorum, perinde ac le-

ges publicas, iusta ex causa: sed neque seruandarum promissa ad irrationabiles extendi. ceteris quæ interpretatio adhibenda sit, latiùs prosequitur Kindschot. *vbi supra c.* 4. *&* 5.

LIBER PRIMVS.

De summâ Trinitate & fide Catholica.

INfelix sæculum patrum nostrorum eò deuenerat, vt *oporteret hæreses esse.* Peperit ergo hæresiarchas Lutherum, Caluinum, Memnonem, alios tanto numero, quanto nullum aliud. Romani mox Pontifices de consueto Ecclesiæ remedio cogitarunt, & Concilium œcumenicum opponere decreuerunt, tamquam ordinarium Ecclesiæ antidotum; id per plura impedimenta in plures annos protractum est. Augustissimus Imperator Carolus V. promouit Concilij celebrationem: atque interim legibus & armis tam in Imperio, quàm in Belgicis suis ditionibus fidem Orthodoxam propugnauit; alijque post eũ hactenus Principes nostri quàm strenuissimè. Edidit Carolus V. hic Edictũ 22. *Septemb.* 1520. 7. *Oct.* 1531. 15. *Nouemb.* 1531. 10. *Iunij* 1535. 22. *Septemb.* 1540. de extirpatione Lutheranorum, Anabaptistarum, sacrum Baptisma iterantium, aliorumque hæreticorum, illorumve fautorum. Vetuit dè fide disputari per laicos, communicari cum hæreticis, haberi eorum scripta, vel libros. alio E. 18. *Decemb.* 1544. diligenter iussit obseruari, & per officiarios sibi rescribi nomina, cognomina, doctrinam, vitam, mores, ceterasque qualitates parochorum; ne fortè sub ouina pelle lupi in gregem Domini sæuirent. alio E. 12. *Septemb.* 1544. impressores, pictores, bibliopolas, aliosque id genus compescuit. denique E. *vlt. Iunij* 1546. Ludimagistros coercuit, & libros censurâ Louaniensi prohibitos, edito indice, legi, haberi vetuit. Et quoniam Wesaliæ sine Pontificis aut Jmperatoris auctoritate erecta erat vniuersitas studiorum, E. 7. *Mart.* 1544.

1544. ea interdixit omnibus ſubditis; vetuitque ne quis eò ſtudiorum causâ concederet, liberos, nepotes, alios, quorum curam haberet, eò mitteret. ad cuius exemplum Philippus II. E. 4. *Mart.* 1569. & 7. *Febr.* 1587. inhibuit ob periculum Religionis generatim, ne quis cuiuſcumque conditionis causâ ſtudiorum proficiſcatur ad alias vniuerſitates quàm quæ ſubſunt in Belgica Regi, aut aliis eius regionibus, ſolâ Româ exceptâ, niſi de licentia Regia: iuſſit, vt qui ſtudent reuertantur, à parentibus & curatoribus reuocenrur, ſub pœna arbitraria, etiam relegationis. quod & extenditur ad eos, qui idiomatis mercimoniiue diſcendi causâ minores viginti annis peregrè agunt.

Rurſumque Philippus II. aduerſus naſcentes hæreſes pœnales conſtitutiones edidit, 19. *Maij*, 1570. libros & ſcripta vetuit, alio rurſum indice damnatorum publicato.

Idemque Philippus E. *26. Mart.* 1582. damnauit vniuerſitatem erectam Leydæ, ſeu Lugduni Batauorum, (vt vocant, quibus religio eſt hodiernis nominibus vti,) ob publicam Caluiniſmi profeſſionem; vetuitque, vt ne animi iuniorum reprobâ doctrinâ inficiantur, ne qui eò ſtudiorũ causâ ſe conferant, maneántve, ſub pœna quòd tamquã de hæreſi ſuſpecti obtinere numquam poterunt officia, beneficia, dignitates, & ſi per obreptionem obtinuerint, ab aliis impetrari poterunt; parentibus curatoribuſque mandat, ne minores eò mittant, miſſos reuocent; ſub pœna quòd tamquam auctores hæreſios grauibus pœnis, etiam bonorum confiſcationi ſubiicientur.

Cùm porrò Belgicæ ditiones latæ, & populoſæ admodum eſſent, vt pluribus paſtoribus opus eſſet, pro tam numeroſis gregibus in proba paſcua ducendis, & ad lupos nimis inualeſcentes pellendos, impetrauit Philippus II. à Romano Pontifice erectionem plurium nouorũ Epiſcopatuum in Belgio. Bulla recitatur *Vol. 2. Edictorum l. 1. Rub. 2.* quamuis ſatis mendosè, *data Romæ* 6. *Decemb.* 1561. eam Haræus tractat *in Belgij Vniti Princip. tom. 2. ſub Philipp. II, inter initia tumultuum Belgicorum.*

Denique cùm magno Eccleſiæ Catholicæ beneficio, abſolu-

tum

tum nunc esset œcumenicum Concilium Tridentinum, statim Philippus II. in belgio illud obseruari, & publicari iussit; idque per Margaretam Regentem 24. *Iuly* 1565. factum est: ita vt declararet Rex enixissimam suam esse voluntatem, vt reciperetur & seruaretur, ad illiusque executionem implorantibus Episcopis brachium auxiliare, sęculares Iudices promptè illud præstarent. Quin & si Ecclesiastici Iudices negligentiores essent, Regi illi denuntiarent, quo remedium adferretur.

Sub ea tamen cautione, ne quid mutetur, aut innouetur circa Regalia iura, priuilegia suæ Maiestatis, aut suorum vasallorum, Statuum aut subiectorum; & speciatim circa iurisdictionem laicalem, ius patronatus, indultum, seu ius nominationum, cognitionem causarum, & materiæ possessoriæ beneficiorum, decimarum possessarum, aut prętensarum per laicos, superintendentiam & administrationem Hospitalium, aliorumque piorum locorum (de quibus tamen hodie videndum Edict. *vlt. August.* 1608.) denique alia similia iura. *Non*, inquit, *ad contraueniendum dicto Concilio, sed vt executio accommodetur natura cuiusque Prouinciæ.* Et vlteriùs responsum est Cōcilio Frisiæ 6. *Iunij* 1569. generatim publicandum esse Concilium: quòd si porrò sint aliqua loca, quorum priuilegia vsúsve lædi alicubi videantur, iis propositis speciatim prouideretur.

Jntermedio nihilominus tempore, nec cura priorum legum, nec nouorum edictorum sollicitudo cessauit. Editum siquidem est aliud Edictum 26. *Ian.* 1559. vt nullæ comœdię, cantiones, versus exhibeantur aut diuulgentur, in quibus tractetur materia aliqua fidei, aut status Ecclesiastici; moralis autem materia examinetur à principali Pastore loci, aut magistratu; & si quid fidem aut Ecclesiæ ministros tangens fuerit, reiiciatur: si nihil sit offensiuum, exhiberi possit: sin autem post censuram mutauerit aliquis quippiam, arbitrariè exemplari rigore puniatur. eademque in mutuis repręsentationibus obtineant, & Iudiçes diligentissimè in hæc animaduertant.

Deinde aliud prodiit Edictum 1. *May* 1566. *&* 19. *Februarij*

1593.

1593. quo vetiti libelli famosi aduersus salutem publicam, Maiestatem, & iura Regia, eosque qui ad gubernacula reipub. sedent, sub pœna patibuli, & confiscationis bonorum.

Iterùm aliud *19. Maij* 1570. latissimè typographos, bibliopolas, ludimagistros dirigens. 5. *April.* 1587. 15. *Maij* 1601. 11. *Mart*, 1616, quo ex integro vetitæ comœdiæ, tragœdiæ, spectacula, repræsentationes, cãtilenæ, versus directè vel indirectè religionem, mores bonos, statum offendentia; scandalum, malum exemplum, cleri opprobrium quomodocumque continentia: sed & ex sacris scriptis quidquam applicantia, ob reprobos sensus, in quos ignari aut subdoli ea trahere possunt. Sed si quid ex gestis Sanctorum ad eorum honorem repræsentare qui velint, à censore approbetur; aut vbi is non est, à præcipuo Parocho, ac deinde à Magistratu, & officiario inspiciatur; qui diligenter aduertant, ne quid fidem, moréſve lædat, nil fœdum dictu, visúve sit: adeoque & ad mutas repræsentationes edicta porriguntur. & maximè eos qui post visitationem correcta non omiserint, aut non visa ingresserint punitos volunt: sed neque probata exhiberi tempore diuinorum officiorum, ne populus vllatenus ab iis auocetur.

Tandem cùm bellum desiisset in inducias, per easque commeatus & mutua frequentatio Prouinciarum induceretur, E. 13. *Iun. & vlt. Dec.* 1609. vetitum, ne quis hîc prauã doctrinã publicè priuatimque seminet, prædicet, ne quis hîc degens apud Batauos prauis concionibus aliisque exercitiis intersit; sub pœna arbitraria, etiam banni: qui has ditiones frequentant, ne quid de religione statúve publico disputent, ne quod scandalum exhibeant, ne publicè priuatimque Psalmos reprobæ lectionis cantillent; in templis ceremoniis publicis se conforment, aut absint: in plateis S. Eucharistiæ publicam reuerentiam exhibeant, aut modestè & tempestiuè se subducant: atque ita sine scandalo se gerentes, vtantur eâ libertate, quæ subditis Regis Britanniæ addicta est in Hispaniis, *tractat. ar.* 8. Iis verò, qui in vim induciarum, ad has ditiones domicilium

transferrent, mandatum, vt leges patrias obseruent: si secùs fecerint, & palàm aliam religionem quàm Orthodoxam profiteri se iactitauerint, tamquam induciarum infractores, & tranquillitatis publicæ turbatores puniantur.

denique cùm Synodi prouinciales Cameracensis 1. *Iunij*, 1587. & Mechliniensis *vlt. Augusti* 1608. quarum decreta separatim edita sunt, & recitantur in *Vol. 2. Edict. lib. 1. Rub. 2.* Philippus II. atque Albertus & Isabella edictis desuper respectiuè datis, earum executionem benignè promouerunt; & quod fidem Catholicã attinet, decreta earumdem Synodorum suis sanctionibus iuuerunt, & nuncapatim Edict. ad Synod. Camerac. *ar.* 1. 2. 3. statuit vt magistratus personæque publicæ faciant professionẽ fidei, iuxta formã prescriptã, eamq; quotannis renouẽt. Ad Mechl. *ar.* 1. 2. & Camer. *ar.* 4. cõformiter E. *25. Sept.* 1550. vt ludimagistri & librarij impressores, bibliopolæ à Principe admissi iuxta formulam Pij IV. & ludimagistri admittendi quidem à Scholastico, vbi is est, seu Archipresbytero rurali, & officiario principali: qui de vitæ probitate, peritia, & fide inquirant. Bibliopolæ addent, quod libros prohibitos non impriment; aduehent, distrahent, denique colligabunt, Mechl. *ar.* 4. calcographi libros non impriment, aut tractatus, nisi Principis permissu obtento, post Censorum examen, approbationemque, Mechl. *ar.* 5. Bibliopolæ à Principe non admissi non se ingerant librorum distractioni, Mechl. *ar.* 6. nuncupatim in domibus mortuariis virorum eruditorum non fiat bibliothecæ distractio, antequam visitata sit: & si qui sint libri damnatæ lectionis, relecti, correcti, vendi permissi fuerint ab ordinario Censore, eiusque permissu.

Mechl. *ar.* 7. nullæ comœdiæ, cantilenæ, versus, carmina, imprimi possint, nisi post examen permissa, iuxta E. *25. Maij* 1601.

Mechl. *ar.* 7. Camerac. *ar.* 8. obstreticium officium non exerceant, nisi admissæ à magistratu. non admittantur nisi peritæ in arte, vitæ probæ, Orthodoxæ religionis, ex iudicio Pastoris, iurent

iurent se fideliter officio functuras, proles quibus operam dederint, intra tertium natalis diem Pastori puerperæ denuntiaturas.

Eodemque edicto ad Synod. Mechl. *ar. 19.* & ad Camerac. seriò voluerunt Principes vt magistratus iuuent omni modo Episcopos, & eorum deputatos, ad erectionem scholarum Dominicalium, pro instructione egenæ iuuenturis, & fidei rudimentis addiscendis: & pecuniam in eam rem necessariam, & stipendia ludimagistrorum subministrent; coactis etiam per mulctas parentibus, & heris, vt liberos famulosque suos ad scholas illas mittant.

Atque insuper iidem Principes E. ad Synod. Mechl. *ar. 17. 18. iuxta E. 25. Sept.* 1550. seriò iniunxerunt officiariis, vt fideliter aduigilent circa eos, qui de loco in locum migrant, & aduenas excipiant secundùm edicta Principum; parochi testimonia vitæ & religionis exigant à parochis vltimi domicilij scripta: & refractarij denuntientur vbi oportet.

Denique quoniam typographia in belgio admodum augescit magno reip. bono, ne zizania possent inseri, Principes luculenter 11. *Mart.* 1616. prouiderunt. & edicto 29. *Octob.* 1626. in quo repetitum est quidquid Edicto 11. *Martij* 1616. quoad bibliopolas fuerat decretum, quod E. partim religionem, partim politiam respicit: quæ ad religionem summatim hîc indicabimus, quæ ad politiam infrà *tit. de Colleg. artif.* Præcipit ergo edictum vt nemo artem typographi aut bibliopolæ exerceat, libros, imagines, rhytmos distribuat, nisi à Curia admissus, Edicti obseruantiã iurarit: vt admissio præuio examine fiat per cõmissarios ab Episcopo & magistratu loci deputatos, & ex Episcopi iudicio atque magistratus, & præfecti typographorũ ab Episcopo cõmittendi; docueritque candidatus de sua Orthodoxa fide, & vitæ probitate: vt admissus ante vllum exercitium Episcopo & præfecto typographorum exhibeat litteras admissionis; & coram eodem Episcopo præstet professionem fidei: eiusque rei notitia seruetur, & præfectus exem-

plum admissionis penes se retineat. Nihil imprimatur quantumuis exiguum, nisi à censore, à Rege, Episcopo, & Magistratu committendo, probatum: nisi fortè litteræ Ordinationum, Elocationum, Motiua Iuris pro litibus priuatis, non luce publicâ: librorum verò tractatuúmve maiorum imprimendorum etiam Curiæ accedat indultum: etiã pro veteribus libris & olim probatis, si quà augeantur aut mutentur: in librorum frontispicio *Acta* visitationis referãtur. Visitatores & typographorum præfectus diligenter curent ne quid imprimatur indecens aut scandalosum, Ecclesiastico aut sęculari statui aduersarium: in eumque finem licebit illis visitare semper officinas, domos, & quæcumque loca typographorum & bibliopolarum, eisque subditorum, ac sarcinas eò delatas; eique rei nullatenus possint obsistere: eædemque sarcinæ prostitui aut vendi non possint, nisi elencho librorum Visitatori & præfecto edito: & eædem sarcinæ non aperiantur, nisi pręsente eodem Visitatore, & pręfecto si eis visum fuerit: neque cuipiam libros, cantilenas, libellos vendere liceat, nisi typographo aut bibliopolę iurato: sed neque inferri huc possint libri in prouinciis vnitis impressi, ad exemplar hîc ritè impressorum: vbi porrò mercatura viget, iubet edictum iniri rationem inueniendi salarij pro præfecto typographorum, & Visitatore; tametsi Conc. Trid. *sess. 4. decret. de edit. lib.* approbationem gratis fieri velit: sed agit de libris sacras materias tractantibus: quamquam Concil. Later. sub Leone X. loquitur generaliter: cuius pœnã applicat Conc. Trid. sed non totum tenorem innouat, atque de eo visitatore agit cui tantùm incumbit dispicere, ne quid contra fidem, aut mores bonos prodeat; hîc autem de eo qui à Rege, Episcopo, & Magistratu constitutus sit, cui etiam incumbat ne quid contra statum politicum evulgetur.

Gliscentibus etiam hæresibus illud prudenter pluribus edictis, vt E. *10. Iun.* 1535. aduersus Anabaptistas opponitur, vt omnes conscij eos denuntiare teneantur; alioquin subditi pro complicibus puniantur. quemadmodum crimen læsæ Maiest-

statis

ſtatis ſolâ conſcientiâ incurritur ſine reuelatione, *l. quiſquis. C. ad leg. Iul. Maieſt.* Boſſ. *tract. læſæ Maieſt. n. 47. & ſeq.* quod optandum eſſet bonis ſæpè Catholicis inculcari, quorum plures idiotarum more putant id extra officium ſuum eſſe. Proditorem patriæ, Principis, Dei prodere boni ſubditi eſt: vt ſaltem ſi ob tempora non punitur, caueatur.

Edicta quę ſpectãt vlteriùs ad hæreticos cõprimẽdos & puniendos à Principibus noſtris edita, tangemus *infrà tit. de hæret.* ſed & huc reuocari poſſunt, quę *in Iur. Pont. nou. anal.* diximus, *h. t.*

De Sacroſanctis Eccleſiis, &c. ædificandis, reparandis, &c. & de religioſis domibus.

VAria ſub hoc titulo Codicis ſacrarum ædium, collegiorumquè priuilegia recenſentur, quæ magna parte adhuc religiosè ſeruantur, nonnulla tamen imminuta: ſed potiſſimùm apud nos atque Gallos, quòd de donationibus in Eccleſiam collatis iure conceſſum eſt, vt valeant etiam ſine confectione actorum ad aureos vſque quingentos, apud nos non obtinet in immobilibus, ob Edicta vetantia clero immobilium acquiſitionem, ac tabulas legum Brabantiæ *an.* 1312. Comitum Flandriæ 1293. aliorumque, Car. V. 18 *Maij.* 1515. 29. *Octob.* 1520. quo Eccleſiis immobilia quocumque titulo vetuit transſcribi. qua de re latiùs egimus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de for. comp. & tit. de immun. Eccl.*

Immunitas etiam Eccleſiarum, vt eò confugientes aſylo gaudeant, *C. de his qui ad Eccl. confugiunt. x. de Immunit.* etiam ad paſſus 40. iuxta matricẽ, 30. iuxta minorẽ, *c. ſicut antiquitus. c. quiſquis inuentus 17. q. 4. Iud. à Cur. Mechl. Chriſtin. v. 2. d. 47.* quoad præterita delicta non præſentia, quæ ibi fiant, *Iudic. ibid. d. 49. n 12* plura diximus *in Iur. Pont. nou. anal. de immunit.* nec E. 22. *Iun* 1589. *ar.* 22. præcisè ſeruatur, plures, quàm Conſt. Greg. XIV. eliminans, vtpote improbos, vagabundos, publicos fures, graſſatores, homicidas, aſſaſſinatores, ſacrilegos, hæ-

reticos, Maiestatis læsæ, aut seditionis accusatos, qui vim Ecclesiæ aut iustitiæ intulerint, foro improbè cesserint. Hæc siquidem nimis generalibus, & indistinctis terminis dicta, distinguenda sunt ex prioribus edictis, & sententiis, quas Edictum hoc generatim citat, iure cõmuni, & dictâ Const. Greg. XIV. alioquin omnis homicida ab immunitate arcèretur, vt indistinctè loquitur Edictum, quod nullatenus recipitur. Ideoque vitandis controuersiis valdè idoneum est, vt antequam reus ab Ecclesia permittatur extrahi, officiarius id petens sub chirographo consentiat, vt seruetur in decisione Const. Greg. XIV. eamque ipse seruare promittat.

Vastatis dirutisque multis per Belgium Ecclesiis, cùm extraordinaria illa tempestas malaciam veterum consuetudinum recordiorumque respueret, *Iud. Cur. Mechl. apud Christin. v. 2. d. 24.* multæque subinde lites orirentur, vt ex ære publico iussæ subinde sacræ ædes reparari, *ibid.* ad requisitionem Synodi Provincialis Mechliniēsis Principes nostri ex singulari epikeia super reparandis Ecclesiis per formam Edicti Regulamentum ediderunt, *2. Octob.* 1613. quod deinde in Flandriæ Cõcilio promulgatum est, 21. *Iunij* 1614. cuius hanc summam dedimus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de ædif. & reparand. Eccl.* si qui speciatim tractatus aut conuentiones inter aliquos initæ sunt super his ruinis, seruabuntur: sin minùs, prouentus fabricæ impendentur tam in nouam ædificiorum exstructionem, quàm antiquorum reparationem: in templis, præsertim rusticanis, sub concione aut sacro ædiles per populum collectam facient; & gazophilacium in templo statuetur, in quo recipiantur deuotæ ad hoc opus piorum oblationes. Deinde vbi hæc non sufficient, subsidium sumetur ab omnibus decimis in manu mortua existentibus, siue liberis, & ad naturam primigeniam reuersis, siue adhuc feudali, vel alio nexu astrictis; siue in manu sæculari existentibus, quæ tamen doceri possint ab Ecclesia esse profectæ post Concil. Magnum Lateran. *sub Alex. III. an.* 1179. celebratum: vt casu ita postulante per annos sex triens illarum con-

contributioni subiiciatur. Contribuent, etiam iuxta iuris communis dispositionem qui beneficia in iis Ecclesiis possident: nihil tamen poterunt statuere ædiles, sine iis quorum interest: & sine eorum consensu vetus forma ædificij non mutabitur; sed inibitur ratio magis conueniens; vocatis in consilium peritis, & minùs sumptuosa: edent etiam ædiles computus suos iis, qui percipient decimas, vt videant an benè administrentur, & quantum desideretur: & vbi hæc non sufficient, ex indultu Principali transibitur ad collectam, & capitationem eorum, qui in ea Ecclesia alimenta spiritualia recipiunt. & si casus occurrat hic non decisus, recurretur ad Principem, aut eius Consilium, vt amicabiliter, aut alioquin summariè, & sine strepitu transigatur. atque hæc omnia prouisionaliter, ad excludendas infinitudines litium.

Quod quidem Edictum futuris negotiis inuentum est, adeoque ad iam reparatas Ecclesias non pertinet; neque ad eas, vbi iuxta priora iura clerus iam officio est functus; neque ad turres, seu intrinsecum ornatum: singularum porrò messium tertia debetur: nec simul tamen post plurium lapsum exigenda: defalcatâ etiam semper portione canonicâ parochorum, & damno fortuito. Quibus de rebus aliisque pluribus egimus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de ædif. & reparand. Eccl.* & aduersus destructores Ecclesiæ data actio cum fauore prælationis etiam supra dotem mulieris arresto Cur. Mechl. apud Christin. *vol. d. 2. 16.*

Quoniam verò titulus hic *de sacros. Eccle.* de locis agit religioni & pietati dicatis, proximus verò in Codice sequens, de personis, & eæ tamen duæ tractationes, vt inquit Cuiac. *in parat.* ita sunt affines & coniunctæ, vt vix possit de personis tractare, qui non tractet de locis, & contrà: vnde & in decretalibus titulus *De religiosis domibus* annectit hæc verba, *& vt Episcopo sint subiecta*, vt significetur hęc omnia spectare ad eorum auctoritatem & curam: ideò quæ de religiosis domibus & piis fundationibus hîc dicenda forent, ad proximè sequentem titulum reiecimus: atque inde repetenda sunt.

De

De Episcopis, Clericis, Orphanotrophis, &c.

COniungit Codicis auctor in vnum titulum Episcopos tamquam sacrorum antistites, qui vt patres atque pastores populum Christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur, *l. 6. C. de Epis. aud.* clericos, quasi in sortem & hęreditatem Domini vocatos; orphanotrophos pauperum pupillorum, brephotrophos infantium; ptochotrophos mendicorum; xenodochos aduenarum, ægrotorum, inopum, debilium, inualidorum, curatores, educatores, hospites, ascetrias atque monachos: quibus nosocomos & gerontocomos valetudinariorum, & senum curatores sub ea Rubrica sitæ leges adiungunt: vnoque contextu titulus priuilegia eorum & peculia connectit: v. g. vt omnes excusentur à sordidis, & extraordinariis muneribus, à parangariis, metatis, lustralis auri collatione, siue functione aurariâ, tutelis, &c. vt his relictum inficiatione crescat in duplum; his solutum indebiti condictione non repetatur; ad vindicandam iniuriam clerico, vel Episcopo factam detur popularis actio; atque similia his plura, *h. t. de Epis.* & sic prosequitur tit. C. proximè sequens *de Episcopali audientia, & de diuersis capitulis quæ ad ius curamque & reuerentiam Pontificalem pertinent.* Pertinent, inquit Cuiac. *in parat. h. t.* ad curam eorumdem pauperes, captiui, infantes expositi, meritorię puellę, lenonum iniuria captæ, & oppressæ, & inspectio operum publcorum, rationumque ciuilium, & pleraque alia officia pia & sancta; ne alij quàm Christiani Aduocati recipiantur, *l.* 15. ne alij milites, *l.* 20. ne defensores plebis, *l.* 19. & generaliter *l.* 12. *&* 18, *C. de hæret.* ne alij quàm Orthodoxi ad reipub. curam, vel iuuenum institutionem admittantur.

At verò de venerabilibus locis eorumque curâ & administratione, vt ad Episcopos, atque etiam ad sæculares magistratus pertineat, latiùs diximus in *Iur. Pont. nou. anal. tit. de relig. domib.* de iudiciis clericorum, de Episcopali audientia satis superque

perque *tit.de for.comp.* Hîc tantùm meminisse volumus Edictorum Principalium. atque in primis E. 8.*Iunij* 1531.27.*Nouemb.* 1548. vt clerici in Flandria politicis ordinationibus, legibusque realibus se conforment. ne politiam publicam interturbent, ne viarum, pontium, aliáve onera rebus inhærentia auersentur. *23. Maij* 1531. vt territoriis inundatis clerici possessiones suas cum aliis à mari vindicent, in aggerumque sumptus contribuant. Ne extra Brabantiam Brabanti, *Bulla aurea Car.IV. Imp. an.* 1349. *& Maximiliani I. confirmatione*, ne Flander extra Flandriam, E.*7. Octob.1523*.ne quis laicus ad forum Ecclesiasticum, nisi in negotiis Ecclesiasticis tribunali Ecclesiastico, per leges, canones, concordata attributis vocetur: adeoque vt id prænoscatur, non nisi libellatâ citatione. E. 23. *August.* 1486. *14. Octob.* 1496. 20. *Maij* 1497. 2.*Dec.* 1522.5. *August.* 1521. ne quis Belga extra suam patriam, seu prouinciam in ius vocetur in prima instantia. *Bulla Leonis X. data* 3. *Iul.* 1515. sub aliquibus tamen restrictionibus, & dummodò causæ per ipsos Iudices in partibus infra annum terminentur. Rursum vetitum ne quis Conseruatoriis litteris vtatur. E. 22. *Septemb.* 1500. Quinimò per idem Edictum 18. *Maij* 1515. 29. *Octob.* 1520. cessat lex *vlt. C. de sacrosanct. Eccl.* quæ dominium in Ecclesiam transferri sine traditione priuilegiario iure permittebat, refragante consuetudine,& Edicto ex iudicato Cur.Mechl. apud Christin.*vol.* 2. *decis.* 8.*n.*3. Et quoniam idem Carolus V.E.21. *Feb.* 1528. regulares hæredes fieri vetuit, ex testamento vel ab intestato, iterùm cessat *Auth de sanctiss. Episc.* §.*sed & hoc præsenti.* vt irrita fiat substitutio precaria facta sub conditione, si sine liberis hæres institutus decesserit, eo transeunte in clerum aut monasteriũ, remittaturque ei conditio suscipiendorum liberorum.

Si quidem professus religionem adeò pro mortuo est apud nos, vt omnis hęreditatis sit incapax, legitima liberorum ei non debeatur, testamenti factionem etiam inter liberos non habeat, succedant ei propinqui ab intestato tamquam mortuo, nihil monasterio cedat, nisi quod expresse donauit, legauit; sed ne-

C que

que sic immobilia, *ex edictis Principum*. sed pretium tantùm, si vendi ea iusserit, & pretium legarit. nisi quòd putant quidam ad momentum deberi immobilia, donec scilicet vendantur, & sic accipiunt Edicta. quod alibi diximus.

Iterùm Ecclesiasticos eximit lex 5. *C. de sacrosanct. Eccl.* à muneribus, & tributis, *Iud. apud Christin. vol.* 2. *decis.* 9. sed citra aduentitiam necessitatem, cui hospitium, & angarias prestant *c.* 1. 2. *x. de immunit. Eccl.* ad muros excubant, *c. peruenit. x. eod.* & onera ferũt rebus antequã ad Ecclesias venirent imposita, *c. tributum* 11. *q.* 1. *c. tributum* 23. *q.* 8. aut quæ naturâ rei insunt: vt ad reparationem pontium, & viarum vicini fundi obligantur, adeoque & illorum intuitu Ecclesia. *l. ad instructionem. C. eod.*

Denique Ecclesiæ, hospitalia, & confraternitates priuilegio minorum gaudent, & in integrum restituuntur. Jud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol* 2. *decis.* 15.

Porrò clericus regulariter fori priuilegio vtitur, sed in reali actione laudatus respondet coram sæculari. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol.* 2. *decis.* 19. *in fin.* aliisque casibus, *decis.* 20. feudalibus, & realibus. *decis.* 22.

Quod attinet verò ad pauperum quorumcumque subsidia, infinita in Belgio erecta sunt Xenodochia, aliæq; fundationes, largæque eleemosynæ erogantur. Carolus V. vt multa Edicta seuerè scripsit aduersus validos mendicantes, ita etiam benignè pro veris pauperibus. E. 12. *Decemb.* 1515. singulis sub testimonio principalis officiarij intra parochiam suam, aut milliare illius ambitus permittit stipem rogare, verè peregrinos vnam noctem in Xenodochiis hospitari. sed E. 7. *Octob.* 1531. valdè amplè *ar.* 9. *& seqq.* de pauperum subsidiis disponit, vetatque in primis, vt nemo quomodocumque mendicet, sub pœna ieiunij in pane & aqua, ac deinde correctionis arbitariæ, exceptis religiosis mendicantibus, & leprosis: ita vt hi tamen signis suis consuetis discriminentur. Peregrini sub simili pœna non mendicent, nisi honesti, voti, aut deuotionis causâ iter agentes, qui vnicâ nocte in Xenodochiis hospitari possint: paupe-

res

res de vnô loco in alterum migrare non poſſint, niſi bello, incendio, inundatione proſtrati; de eoque docentes hoſpitari, & ædes conducere poſſint. Qui autem aliunde oriundi annum hîc reſederunt, remanere poſſint, & de pubicis eleëmoſynis portionem accipere.

Pueros etiam parentes à mendicitate cohibeant, ſub pœna, quòd virgis corrigentur, & arbitrio magiſtratuum.

In ſingulis locis vnus pluréſve à magiſtratu ſatellites conſtituantur, qui tranſgreſſores apprehendant.

Omnium eleëmoſynarum, menſarum ſancti Spiritus, & ſimilium charitatiuarum largitionum ſit communio: fiat vna burſa, & iudicio curatorum, & præfectorum, eorum, qui à magiſtratibus deputabuntur, fiat diſtributio. Quæ tamen pro religioſis perſonis, etiam mendicantibus, relicta ſunt, diſtribuantur iuxta tenorem fundationum.

In ſingulis parochiis ponantur gazophilacia, tribus clauibus occluſa, prima parocho, ſecunda magiſtratui, tertia dictis curatoribus maneat: & deputentur à magiſtratu, qui hebdomadatim ſemel iterúmve in Eccleſia collectas petant, atque oſtiatim circumeant, & in ſingulos menſes coram magiſtratu, omnibuſque intereſſe volentibus computum reddant.

In ſingulis ciuitatibus, & pagis aliqui deputentur à magiſtratu idonei, & maximè qualificati, qui hanc curam pauperum gerant; quæſtorem conſtituant, qui debitum computum reddat, atque ipſi diligenter inquirant in numerum, conditionem, ætatem, proles opificium, lucrum, neceſſitatem, familiæ quanto ſubſidio egeant, omniaque in ſcriptum redigant.

Magiſtratus, iudicio notabilium, in maſſam vnam corrogent cuiuſcumque generis eleëmoſynas, diſtribuendas ad diſcretionem deputatorum, in pane, pecunia, lignis, veſtibus, pro ſingulorum conditione. ebrioſis autem, otioſis, aleatoribus non pecuniam, ſed panem, ligna, veſtes in ſpecie tribuant. validi autem ad opera, & lucrum domum referendũ cogantur, alioquin cõmunione eleëmoſynarum priuandi, & arbitrariè corrigendi.

Ægri, puerperæ visitentur, & à necessariis domi prouideantur, vt & pupilli, & expositítij.

Pueri vel in scholas mittantur, vel ad opificia. atque hi dominicis & festis diebus orationem Dominicam, rudimenta fidei, à deputando ludimagistro doceantur, qui & eos ducat ad Sacrum, concionem, & vesperas, atque huiusmodi pauperum vlteriùs circa omni cura habeatur pro commissariorum conscientia. omnes qui ab eleëmosynis alentur, publicum aliquod signum deferant, ad eorumdem commissariorum iudicium.

Parochi omnes, & concionatores in concionibus, audiendis confessionibus, & scribendis testamentis causam pauperum diligenter commendent, querelis non facilè credant, sed benignè dimissos ad commissarios reiiciant, quibus etiam immeritos indicent, & pauperes pudibundos, vt prouideatur. nemo hospitetur nisi per vnam noctem validos mendicantes.

Nemo pauperum de huiusmodi eleëmosynis viuentium tabernas aut popinas ingrediatur, aleis, discis, globis ludat, sub pœna arbitraria. nonnumquam tamen recreationis causâ haustum vnum, citra ebrietatem, cum vxoribus sumere possint.

Et quò faciliùs perpetuò consistat huiusmodi ordinatio, possint officiarij, & magistratus locorum noua his statuta adiungere, pro temporum opportunitate.

Atque hæc latiùs in gratiam pauperum iuuandorum prosecuti sumus: etsi non omnia per temporum iniquitatem suam executionem sortita sunt: sed neque quæ spectant eleëmosynarum communionem. & solet plerumque in rebus humanis communio contentiones generare. quod & in primitiua Ecclesia sub ipsis Apostolis experientia demonstrauit. *Act. c. 6.* cùm factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. vt omittamus singulorum fundatorum philautiam, & scrupulum fortè aliquibus motum à decreto Concilij Viennensis, quod huiusmodi communionem ad certum vsum piè relictorum Sedi Apostolicæ reseruat. *Clem. quia contingit. de relig. domib.*


Enim-

Enimuerò pro temporum præsentium ratione, edictis suis hilippus II. ad Synodum Cameracensem *1. Iunij* 1587. *ar.* 12. 3. Albertus & Isabella *vlt. Aug.* 1608. ad Synodum Mechliniensem *ar.* 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. tam piè, quàm prudenter decreuerunt, vt ad conseruationem omnium bonorum, fabricarum, hospitalium, mensarum sancti Spiritus, & quorumcumque locorum piorum, Episcopi, iuxta curam à sacris canonibus ei commissam, per se aut suos commissarios cum interuentione patronorum eiusmodi fundationum, aliorúmve qui antehàc curam gesserint, alioquin officiarij principales certum perpetuumque diem præfigant, quo quotannis qui prouentus administrarint rationes reddant; sub pœna pecuniaria si in diem publicatum præstò non fuerint: & vbi pluribus ea administratio incumbit, designetur vnus, qui omnium nomine prouentus recipiat, exponat, aliorum tamen simul periculo. Rationibus reddendis, præter eos qui hactenus interuenerint, Episcopi eorúmve deputati adesse possint, sine sumptu tamen fundationum: & quod communi calculo fuerit decretum, sumptu fundationis sustineatur, si quis contrarias querelas detulerit, ad iudicem vtique sæcularem, vt ait edictum, vbi hactenus Episcopi scilicet non interuenerint, sed ab edicto tantùm vocantur: vbi autem iam olim maior Episcopis competiit auctoritas, ea nihil imminuta est edicto, de vetere aliorum iure non mutante.

Dum Episcoporum vicarij, aut alij quibus id mandatum fuit, pia loca visitabunt, eius rei admoniti bonorum administratores exhibeant requisiti suas rationes, tametsi iam auditas & supputatas.

Inhibetur omnis huiusmodi bonorum alienatio, nisi ex graui necessitate, aut euidenti vtilitate. quibus casibus examen diligens fiat ab Episcopis, iisque ad quos hactenus recursum fuit, & ab vtrisque impetretur decretum in scriptis.

Vbicumque notabilis abusus deprehendetur per Episcopos, eorúmve commissarios, certiores reddant fiscales Regios suæ



prouinciæ, qui prouideant. ſcilicet quibus caſibus Epiſcopi ſolùm interueniunt tamquam ab edicto vocati; alioquin ſi antiquitus alia eis competiit auctoritas, edicto non eſt reſtricta. vt antè diximus.

Spectat ad Epiſcoporum, clericorumque tractatum, ex Edicto ad decreta Concilij Camerac. 1. *Iun.* 1587. *ar.* 9. Mechl. *vlt. Aug.* 1608. *ar.* 11. *&* 12. quò minùs clericus egeſtate ſordeat, vt quis patrimonium, ad cuius titulum ſacros Ordines ſuſcepit, alienare aut oppignorare non poſſit: niſi de alio prouiſus, atque tum de conſenſu Epiſcopi, aut aliàs retento ſaltem vſufructu, ad vitam naturalem. & quò minùs error ea in re accidat, bona in titulum patrimonialem data in litteris Ordinum ſpecificentur. Si ſecùs alienatio fiat, à Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. irritatur. Quare & ne in opprobrium Ordinis clericus mendicet, debita non ſoluit, niſi in quantum facere poteſt. *c. Odoard. x. de ſolut.* ideoque & bona in titulū ordinationis aſſumpta, vt ſtipendia ſunt exempta ab executione. *l. ſtipendia. C de ex. rei iud.* vt & fructus præbendarum non niſi in ſubſidium exiguntur, & ſaluo *d. c. Odoar.* ipſa autem bona nullatenus, ſeu ſors capitalis redituum. Neque obeſt doctrina Panorm. citata à Chriſtin. *vol.* 1. *d.* 219. quòd ſatis ſit bona habere tempore ordinationis, & liceat poſteà alienare, quia paupertas voluntaria non reprobatur: quoniam ei doctrinæ obſtat d. Conc. Trid. ob indecentiam publicam in clerico, ſaluis Ordinibus mendicantibus. neque obeſt Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. executionem generaliter permittens, quia generalitas ea reſtringitur per exceptiones iuris, & ipſius Trid. Gutierr. *tract. de Iurament. confirm. p.* 1. *c.* 17. *n.* 9. In Gallia ſecus obſeruat le Maiſtre *tract. de criees. c.* 23. ſed malè. vt & in Gallia clericus ſe obligat ad carceres ſæculares. Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *S.* 21. quæ pactio iure improbatur, & noſtris moribus: cenſuriſque punitur. *c. ſi diligenti. x. de for. comp.* ab Innocentio III. poſt Concilia Mileuitanum & Carthaginenſe.

Ex E. 20. *Octob.* 1541. habemus vt litteris Placiti ſuper prouiſionibus beneficiorum, curatorum & parochialium inſeratur

clausula, vt prouisus teneatur residere, neque deseruitorem ssit substituere. Et litteræ Placiti non concedantur super cultate de non residendo in curatis, dispensatione super æta- , aut ignorantiâ idiomatis, vel coadiutoriis præbendarum, & neficiorum simplicium.

In simplicibus beneficiis ferè consuetudine passim indu- um, vt possessores à residentia excusentur, contra veteres ca- ones, & Const. Nou. *de diuersis Ecclesiis. §. Interdicimus, quòd si. rs. qui verò.* vbi fructus absentibus denegantur, sicut stipendia iliti absenti. *l. cùm allegas. C. de re milit. l. 12. tot tit. x. de cler. on resid.*

Pro residente habetur, qui Ecclesiæ causâ abest. vt latiùs iximus in *Iur. Pont. nou. anal. tit. de cler. non resid.* addunt & reip. t Principis Consiliarios fructibus beneficiorum gaudere cen- uit Curia Mechl. apud Christin. *vol. 2. d. 18. l. reip. ex quib. caus. naior.*

Decernitur E. 21. *Februarij* 1528. vt Ecclesiastici non ne- gotientur lucri causâ, fundósve conducant; alioquin oneribus subiaceant vt laici, ad conformitatem tituli, *ne clerici negotiis sæcular. se immisc.*

§ *De reliquiis, & veneratione Sanctorum.*

CVriosa Episcoporum sollicitudo esse debet, estque E. ad decreta Synodi Prouincialis Mechliniensis *vlt. August.* 1608. & Camerac. 1. *Iunij* 1587. Mechl. *ar.* 21. cautum, vt quicumque penes se habent aliquas reliquias, bona, mu- nimenta, litteras ad loca Ecclesiastica ruinis collapsa perti- nentes, deferant ad Ordinarios locorum, in idonea tempora seruandas.

§. De

§. De congrua parochorum portione.

SVccedit Episcoporum cura, vt qui laborant in vinea Domini denarium diurnum accipiant, qui ferunt spiritualia, metant temporalia. vnde iisdem edictis ad Synodum Mechlin. *ar.* 15. & 16. Camerac. *ar.* 10. ad executionem per Concil. Trident. de congrua portione parochis assignanda, & per Synodos prouinciales decretorum, mandatur vt Concilia Regia, & magistratus omnem opem promptè operamque præstent. viatoribus suis mandantes, vt re ipsâ exequantur, quod per Episcopos decretum erit, seu per prouisionem, seu diffinitiuè. & cùm opus erit eandem congruam portionem tribuere per symbola, seu alias collectas, iuxta Episcoporum taxam, Concilia, & magistratus manum auxiliatricem porrigant. Et in subsidium negligentibus Episcopis Concilia Regia audiant parochorum querelas, præsertim interuenientibus Fiscalibus. & competenter eis prouideant: publicè enim interest vt parochis sit prouisum congruenter.

Decreto synodi prouincialis Camerac. 1. *Iunij* 1587. *ar.* 11. declaratum, decisumque, vt ad congruam portionem parochorum, & reparationem Ecclesiarum suo ordine teneantur decimæ à manibus mortuis possessæ, quamuis olim in manu laica fuerint; quin & hodie possessæ à laicis, quæ probari poterunt profectæ ab Ecclesia, post Concilium Lateranense an. 1179. cui rei, quoad Ecclesias, postmodum pleniùs prouidit edict. 21. *Iunij* 1614. in Concilio Flandriæ promulgatum. vt suprà tit. proximo latiùs diximus.

§. De Decimis.

NE verò Ecclesiæ ministri, dum sacras decimas sibi in alimenta vendicant, præter mores maiorum quidquam exigant, etsi omnium quæ gignit humus decimæ debeantur

tur, & quidem decimus manipulus, vt nomen ipsum sonat, netsi hîc plerisque locis vndecimus de prædialibus tantùm; personalibus lucris nihil solui consueuerit, & alicubi minor, men de decimis statuit Carolus V. Imper. E. 6. *Nou.* 1520. vt illæ decimæ insolitæ exigantur, quàm quarum possessio habita fuerit per annos quadraginta: vt solitis contenti sint decimatores: vt insolitarum causa nemo ad iudices Ecclesiasticos tetur, nemo compareat: motâ quæstione super vsu nouarum ecimarum cognitio, & declaratio spectet ad Concilia Principis.

Declarauit tamen E. 15. *Septemb.* 1530. non esse inhibitas decimas ex terris noualibus percipiendas, talium fructuum, quorum in ea parochia decimæ solui consuetæ sunt iam olim, siue ante annos quadraginta, neque pullorum, agnorum, aliorúmve animalium in nouis ædificiis natorum, si similiter in ea parochia exigi consueuerunt.

Vnde etiam innuitur hodie non seruari hîc, vt populus teneatur decimas inferre in horrea decimatorum, iuxta antiquas leges, Malach. *c. 3. c. reuertimini.* 16. *q.* 1. *c. decimas.* 16. *q.* 7. quam obligationem à consuetudine solutam coniecturare licet, quòd neque populus fideliter decimas soluere cœperit, neque decimatores fidere, sed ipsi inspicere & colligere. Hanc malitiam secutæ pœnæ quas D. August. minatur, *c. decimæ.* 16. *q.* 1. *c. decimas. Hæc est*, inquit, *Dei iustissima consuetudo, vt si illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris: dabis impio militi, quod non vis dari sacerdoti.* An hæc Dei consuetudo nostra tempora non tenuerit, nescio an quis non videat.

Quòd si tamen in his rebus non rectè actum erit, non transit vitium in fundi possessorem, quia decimæ fructuum pars sunt non fundi: ideoque pro reliquis non tenetur. Iudic. à Cur. Mechlin. apud Christin. *vol.* 2. *d.* 26.

Decimas à iure diuino profectas ex sacris litteris ac Conciliis œcumenicis aliisque canonibus sacris plus satis constat. Et nihilominus apud Romanos in nonnullis prouinciis aliosque

D Reges

Reges vſurpatas. vt malè Grotius id oppugnet, in Iſagoge Iur. Holland. *l.* 2. *p.* 45. quòd veteres donationes multæ decimarum à Principibus ad Eccleſiam profectæ legantur, & olim Friſones ſuis Principibus decimas addicebant. ſanè in Friſia decimas clero non ſolui dixi *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de Decimis.* ſed & hiſtoriæ clamant à Carolo Martello decimas pro magna parte, congruâ parochorum portione exceptâ, in ſumptus belli contra Saracenos fuiſſe arreptas, militibuſq; conceſſas. qua de re, & *c. quia muta.* 16. *q.* 1. & quę ibi ſubiunguntur. vide quę habet Haręus in Annal. Brabant. ad annum 741. in Carolo Martello. & de noualibus multæ olim contentiones, vt in *c. tua. x. de Decim.* Duces Brabantiæ quidam ſui iuris facere voluerunt: Henricus III. totâ Brabantiâ Eccleſiæ teſtamento in *Feb.* 1260. reſtituit: & iam anteà toto Marchionatu Antuerp. cuius rei litteræ ſigillatæ adhuc in archiuis Capituli Antuerp. exſtant. Sed & Rationalium vitio ſæpè hę conteriones accidunt: cùm enim terræ incultę ſpectent per mores ad Principem ſeu vaſallos, qui territoria ab eis poſſident, & in emphyteuſim ſæpè datæ ſunt, atque indies dentur, eâ lege vt decima fructuum ad dominos ſpectet, eaque decimi manipuli vernaculè vocari apud nos ſoleant, fit, vt ſæpiùs exinde hæc confuſa ſint, & in abuſum decimarum trahantur. neque enim ex iure Regio, quod Samuel 1. *Regum. c.* 8. propoſuit, quòd populi Rex poſtulatus vineas addecimaret, interiit ius decimarum, quod iure diuino Leuitis debebatur.

Ne quis tamen intentione edictorum nouas decimas exigi prohibentium abutatur, & audaciùs Eccleſiam fruſtretur, rurſus Car. V. feriò iuſſit E. 7. *Iunij* 1554. vt decimæ ad antiquam quantitatem & valorem ſoluantur, vt fructus ex agro non auferantur, niſi idoneè denuntiatum fuerit decimatori eos eſſe auectioni paratos, vt adſit decimationi faciendæ: alioquin ſi dictâ horâ non comparuerit, liceat colonis fructus ſuos auferre, decimo manipulo, vel aceruo illi relicto. Quod & Philippus II. E. 6. *Iunij* 1564. iterùm firmauit, multis verbis mandans, vt

vt decimæ integrè soluantur: iis Ecclesiastici pacificè vti, frui sinantur: fructus non ante aut post Solis occasum, non monitis decimatoribus, non antequam in manipulos collecti, & in aceruos compositi fuerint, asportentur.

5. *De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

QVia & administratio rerum Ecclesiasticarum fidelis & prudens Principibus cordi semper fuit. vnde mandant E. ad decreta Synodi Prouincialis Mechliniensis *vlt. Aug.* 1608. *ar.* 20. vt termini elocationum rerum Ecclesiasticarum iure præscripti non excedantur, sub pœna nullitatis. Synodus autem alios pratis, alios decimis, alios agris præscripserat, pro natura regionis; sed Romæ substitutum est tempus tantùm à iure præscriptum: edictum autem conceptum est antequam Synodus probata Româ rediret: termini tamen eiusdem Synodi, quos edictum probat, regesti sunt in Synodum Antuerpiensem 1609. *tit.* 21. *c.* 25. & Camerac. *ar.* 23. eosdem terminos probat, & renouari vetat ante lapsum duarum tertiarum totius temporis respectiuè, & *ar.* 24. bonis Ecclesiasticis proclamationes præmitti iubet: & *ar.* 22. vt omnes elocationes ad longum tempus, & Ecclesiæ noxiæ, sine causæ cognitione, & Superiorum auctoritate initæ, per omnes iudices declarentur nullæ: non obstantibus consuetudinibus locorum contrariis: & redemptiones granorum, quorum dies nondum venit, vili prætio anticipato: denique *ar.* 21. vt generatim iudices aditi super rescissione, aut nullitate locationum, aut contractuum Ecclesiæ noxiorum, iudicent secundùm canones, & leges canonibus non contrarias, edicta & consuetudines ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem obseruatas.

Ipsæ autem alienationes perpetuæ E. ad Synod. Cam. *ar.* 2. Mechl. 28. 30. 31. omninò nullæ declarari iubentur, non factæ secundùm canones, non obstantibus locorum consuetudinibus: sed si necessitas requirat, vtilitásve euidens alienationem

ſuadeat, non fiat ſine Epiſcopi examine, & decreto, eorumque qui ſolent interuenire.

Enimuerò non eſt hîc receptus rigor *l.* 14. *C. de ſacroſ. Eccl. l. fin. C. de fund. rei priuat. l.* 11. vt emptor rei Eccleſiaſticæ priuetur pretio: ſed illud ab Eccleſia recipit, ſi emptio ex cauſa vtili, aut neceſſaria proceſſerat: alioquin regreditur ad venditorem. Iud. Cur. Mechl. apud Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 11. *n.* 5. ſi in rem Eccleſiæ verſum non eſt, res cum fructibus ſine pretio reſtituitur. Iudicatum à Conſilio Brabantiæ inter Capit. Lirenſe & diuerſos bonorum Capituli emptores, alioſque contendentes.

Sed neque ſeruamus hodie in alienatione Eccleſiaſtica ſolemnitates *Auth. hoc ius porrectum. C. de ſacroſ. Eccleſ.* ſed præſcripta tantùm canonum.

Denique eodem E. Mechl. *ar.* 22. ſancitur, vt ad præcauendas iu futurum tenebras, quicumque etiam Eccleſiarum patroni, penes ſe habent piarum fundationum Eccleſiaſticarum litteras, ea exhibeant Ordinariis locorum, & ad id inuiti cogantur.

Quin etiam E. 26. *Maij* 1587. ad præſeruanda iura Regia mandatur, vt omnes poſſeſſores paſtoratuum, aut capellaniarum, & quorumcumque beneficiorum patronatus Regij, eadem Fiſcalibus denuntient, exemplum fundationis, ſuæ collationis, & ſynopſeos omnium bonorum, atque regiſtrum conficiant, Præſidique ſanctioris Concilij tranſmittant; & inpoſterum vacantibus beneficiis ſynopſis reuideatur, an nihil fructuum deperierit: in elocationibus autem nulla munera intercedant: fideiuſſores adhibeantur: alioquin ſucceſſores non teneantur: & inquirant Fiſcales quique in ſuo territorio diligenter, quæ beneficia ſint iuris patronatus, qui poſſeſſores, & vtrùm reſideant, & ad Præſidem tranſcribant.

De

De Episcopali audientiâ

AD hâc quę causæ pertineant latè prosecuti sumus in *Iur. Pont. nou. anal. tit. de for comp.* quin & Episcopis veram competere iurisdictionem *tit. de off. ord.* demonstrauimus, non audientiam tantùm strictam, & notionem, quæ pedaneis etiam tribuitur, quibus negant competere magnifica illa verba *iudicare, dare, dicere, addicere.* Iustinianus quidem vsus est eo verbo audientiæ inter tractatus sacrorum, siue pro modestia vocis, & officij Episcopalis, siue propter plures causas merè ciuiles, atque inter personas sæculares, quas sub hoc titulo attribuit Episcopis audiendas, noscendas, & sententiâ terminandas, à qua etiam neget appellari. quamquam Wesembec. *in œconom. C. l. t.* audientiam explicet iurisdictionis exercitium, vt auditorium iurisdictionis locum, *l. lecta. D. si cert. pet. l. contra. §. 1. D. de re iud. l. prouid.* 7. *C. de postul. l. cum lege* 41. *de recept. arb.* Sed Cuiacius inquit: *Episcopi iurisdictionem non habent, quia nec forum legibus habent, vt ait Valentinianus Nouel. de Episcopal. Iudic. nec apparitionem, nec executionem.* vtpote in proprietate sermonis fori, & forensis iudicij, non in plano & obuio sensu à iure dicundo, vt accepit prætor in *l. ait prætor. D. de re iudic. l. voluit. §. 1. D. de inter. act.* numquam enim Episcopi in foro iudicarunt, nec potestatem eam exercuerunt, si proprietatem iurisdictionis spectemus, quæ competebat tantùm iudicibus maioribus, *l. 1. & seqq. D. de iurisd. omn. Iud.* de quibus tota notitia dignitatum vtriusque Imperij, & commentaria Panciroli. sub quibus nec comprehendi possit, nec iurisdictionem, nec cingulum, nec forum habere supremus ille Iudex viuorum & mortuorum. Ostendi *d. t. de. off. ordinar.* Apostolos & Apostolicos successores tribunal in Ecclesiis habuisse, potestatem iudiciariam exercuisse, sententias dixisse, executos esse; & Petrum Ananiam & vxorem sæculares de pretio agri mentientes, examinatos examinasse, sententiâ & exe-

executione promptâ. Jn Christi regno datam esse virgam dire-ctionis, virgam ferream. altiùs ergo res repetenda est. *Suscipitisne*, inquit Greg. Nazian. *libertatem verbi? libenter accipitis quòd lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris. c. suscipitis. d. 10.* Imperfectissimum sanè, si iuris dicendi, apparendi, & exequendi potestate carentem. duæ sunt ergo potestates, sacra & sæcularis, inuicem discretæ. *c. cùm ad verum, c. duo sunt, c. si Imperator. c. 96.* non eadem vtriusque symbola. habet illa infulas, tyaram, pedum, baculumque pastoralem: hæc diadema, gladium, aliaque quamplurima potestatis insignia: illa ædem sacram & Ecclesiam; hæc prætorium & forum: illa ligandi atque soluendi pontificium, omni rhompheâ ancipiti acutius; hęc exercitum, legionem, militem: neutra frustrà gladium portat, sed vnà alterum sub altero: hunc ab Ecclesia, illum pro Ecclesia exercendum; hunc sacerdotis, illum manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis. De Ecclesiastica potestate est illud Ieremiæ, *Constitui te super gentes & regna.* Extrauag. *vnam sanctam. de maior. & obed.* Itaque non rectè argumentantur, qui negant Ecclesiæ competere iurisdictionem, ideò quia forũ non habet, quia gladij potestatem non habet, quia territorium, quia fiscum non habet, propriè & ex rigore verborum antiquo singula accipiẽdo; non secus quàm qui diceret hominem animal non esse, quia non hinnit, quia non rugit, quia non grunnit. Ecclesia à Deo auctoritatem habet de rebus & personis ad eam spectantibus ius dicendi, causas Ecclesiasticas cognoscendi, finiendi, exequendi, gladio spirituali per sese exercendo, & temporali pro suo nutu. Non caret ergo suâ iurisdictione ea Ecclesię potestas, quamuis nõ competant ei sæcularis iurisdictionis in sensu verborum rigido ac antiquo vocabula, sicut species oppositæ non carent influxu generis, etsi non conueniant ei speciei oppositæ subiecta nomina. & iam hæc tam vulgaria vsus & agendi, & loquendi fecit, vt sine indignatione hodiernæ Latinitatis, & iu-
risdictio

risdictio & forum, & territorium & fiscus Ecclesiastica etiam vocentur, aliaque quæ in sęculari solùm olim erant honore vòcabula vsurpentur. *tot. tit. x. de off. Iud. c. 2. x. de off. leg. c. penult. & vlt. x. de confess.* quæ dum argumentando ad veterem sonum resumuntur, oportet vt aures tonos illos veteres, & hodiernos distinguant, vt à sono vocum antiquo vim rerum imprudenter oppugnari non admittant: tinnitum ratiocinando superent: argumenta allidant ad illam petram B. Petri, *ecce duo gladij hic.* quos d. Extrauag. *vnam* rectè disterminat.

De Legibus, Constitutionibus, Edictis, Ordinationibus, Placitis, Consuetudinibus, &c.

POst sacra sequitur ius publicum, quod ad statum publicum pertinet, legum rogatio, Reip. administratio, honorum, magistratuum, officiorum, numerum dispositio. de quibus *lib. 1. 49. 50. pandectarum lib. 1.* & tribus posterioribus Codicis. Jn Jmperio Germanico aurea Bulla Caroli IV. & pluribus Recessibus Ordinum Imperij, & in quaque rep. specialibus munimentis.

Leges, Constitutiones, Edicta, Ordinationes, Placita ad Principes hodie pertinent, ex lege Regia. & pridem Leo Extrauag. Const. 78. statuerat, ne amplius senatusconsulta fierent. abrogata *d. 9. D. h. t.* Consuetudines tacitis vtentium moribus, non refragantibus Principibus, inducuntur. Quod verò pertinet ad Responsa Prudentum, iis Augustus magnam auctoritatem adiecerat. quare ius etiam respondendi à Principe impetrandum erat, *l. 2. §. his legibus. D. de orig. iur. l. fin. C. de assess.* vnde etiamnum facultas creandi Doctores Principi reseruata est: & in vniuersitatibus Pontificia, & Regia auctoritate; non autem hodie per ipsos Reges exerceri solet: tamen hodie ea, quæ antiquitus fuit, obsoleta est: adeò vt quamuis olim iudices à Consultorum Prudentum responsis non possent recedere. *§. responsa. Inst. de iur. nat.* nunc sibi datis respon-

ſis non alligentur, nec Pythagorica dicentium auctoritas obtineat, & litigantibus data vix excuſet à pœna temerè litigantiũ, certè non ab expenſis.ex E. 12. *Iul.* 1611.*ar.* 9.

Porrò Belgicas ditiones conſuetudinarias eſſe, iiſque mores primo loco Ius eſſe, & Conſtitutiones Principum, demum ius ſcriptum, ciuile, atque canonicum, diximus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de Conſt. n.* 11. quod vſque adeò in Brabantia obtinuit, vt tabulæ legum Brabanticarum à Ioanne Duce an.*1312.*datæ, ex quibus perpetuum Ius Brabantis dicendum promiſit, vix ciuilia negotia complectantur, ſed maximè verſentur circa res criminales de compeſcendis vindicandiſve iniuriis, verbo, factòue illatis, furtis, incendiis, termino moto, arboribus furtim cæſis, pecude, armentòve abacto, damno dato, viâ impeditâ, pace pùblicâ, priuatâve fractâ, adulterio, ſtupro, raptu, homicidio, duello, accuſatione, dolo, contumaciâ, purgatione, iuſtitiæ negatione, denique expeditione publicâ militari, ne quis eâ indictâ emaneat, aliiſque id genus rebus publici magis iuris, quàm priuati, quaſi priuatæ cauſæ ex moribus pridem, vel in ſingulis locis, vel Prouinciâ quaſi totâ receptis, ſuam propriùs deciſionẽ haberent. Id enixè tamen cauit ne quâ pecuniâ iudices promoueret, ne litigioſa ipſi emerent, omnes ſecundùm eas tabulas æquo iure iudicarẽt, atque expeditè quidem, vt non impunè pluſquam ter requirerentur.

Igitur paſſim in Belgio populus ſuis conſuetudinibus vtitur. vt *in l.* 9. *D. de Iuſt. & Iur.* dicitur omnes populos peculiare ſibi ius condere poſſe. quod quidem omninò poteſt populus liber, ſed qui alteri paret nihil quidem, quod legem illius offendat. *l. deprecatio. in fin. D. ad leg. Rhod. de iact. l.* 3. §. *diuus. D. de ſepulchr. viol.* expungebantur enim decreta eiuſmodi, ſi è re populi non eſſent, aut ambitioſa, *l. ambitioſa. de decret. ab ord. fac.* hodie quidem liberæ ciuitates ſtatuta Iuri contraria condunt, & Imperij principes legis ferendæ, ſine confirmatione Imperatoria, poteſtatem vſurpant. Gail. *l.* 1. *de pace pub. c.* 6. *n* 11.

Atque hæc quidem vbi collatis ſuffragiis quidquã decernitur:

tur: sed quando populus tacito quodam consensu, ex facto plurium, probationeque publicâ, & patientiâ Principis, quasi mores inducit, fulcitur magis auctoritate Principis patienter permittentis consuetudo, quàm populi. Vnde prudenter Brabanti in læto Introitu *ar.* 57. à Principe omnium vsuum, & consuetudinum suarum obseruantiam stipulantur.

Quod ita tamen obtinet, si rationi non sint aduersariæ, aut cum iure nobis ingenito pugnent. quare rectè Principes nostri sæpiùs, & Carolus V. quidem E. 7. *Oct.* 1531. 4. *Oct.* 1540. Albertus autem & Isabella E. 12. *Iunij* 1611. *ar.* 1. mandauerunt, omnes toto Belgio consuetudines, quæ à Principibus probatæ non essent, scripto consignatas ad suprema Concilia deferri examinādas, & porrò emologandas, ac deinceps populo seruandas priuatim, atque in iudiciis, sine testium probationumq; sumptu.

Quoniam enim consuetudo actuum frequentiam requirit, *l.* 38. *D. de leg.* vt nec bini sufficiant, nisi admodum fortè solemnes aut exigui collegij, vniúsve hominis, de quo *l.* 3. *C. de Epis. audiend.* fiebat, vt non per testes singulos, sed tribus, curias, aut centurias testimonia super consuetudine excipi oporteret. Cuiac. 20. *obs.* 1. tametsi iis non egeat notoria, Gail. 2. *obs.* 31. *n.* 17. sed ea tamquam ius ex officio suppleatur. *l. vnic. vt quæ des. part.* his dispendiis caret populus, cuius mores litteris descripti, Principali auctoritate probati sunt.

Consuetudines autem huiusmodi quædam singularium sunt ciuitatum, quædam totius prouinciæ, vt toto Belgio seruitutes sublatæ sunt, arresta aliaque sexcenta generatim inducta. quæ omnia populus, Principesque, sarta tecta seruari semper voluerunt. Vnde etiam cùm locorum statuta disertè mentionem non faciunt, vicinæ generales locum habere creduntur, *c. super eo. x. de censib. c.* 6. *x. de consuet. c. nouit. d.* 12. latiùs diximus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de consuet. n.* 11.

Post consuetudines, Principum constitutiones, edicta, ordinationes, placita, proximum ius sunt, dummodo disertè consuetudini non derogent. nam eo casu derogationis expressæ

primum locum edicta habent. Post hæc an leges ciuiles Romanæ an canones in ordinem venerint olim, quæsiuimus *h.t. in Iure Pont. nou. anal.* hodie ferè extra peccati materiam legibus ciuilibus prærogatiua datur, & sic nonnumquam videntur sonare Principum nostrorum edicta: præterquam quòd Brabanti tabulis legum Ioannis Ducis *anni* 1312. iubeantur casus illic decisis similes ex argumento, & ratione illarum legum Brabanticarum iudicare. nec malè: siquidem verum est quod Grotius *in Isagoge Iur. Holland. l. 1. c. 2.* tradit Iudices apud maiores nostros iurare solitos, præter leges patrias, se ius dicturos iuxta meliorem rationem, quam sua religio, & discretio suggereret: vnde quod legum patriarum rationi innititur, hic æquius, iustius esse, nemo dubitet. Sed ex illo iuramento infert Grotius non inuenta generatim maiore æquitate quàm legum Romanarum eas à Iudicibus esse pedetentim receptas. vt procliue est credere, simili ratione apud omnes ferè gentes post Iura illarum propria adscitas fuisse Romanas leges; etiam apud Gallos, & Hispanos. vt illorum Iurisconsulti tradunt, & horum leges partitarum statuunt: quamuis Imperio Romano non pareant: siue propter sanctissimam legum Romanarum, quam diximus, æquitatem, quæ & Turcas Codice Iustinianæo vti adegit, vt quidem scribunt, & facilè credi potest, vbi placito Principum, aut decreto aliquo publico leges Romanę recipiuntur; siue quod nec minùs verisimile est, quòd Franci, Ghotique eiectis Galliâ atque Hispaniâ Romanis, non mox Iura omnia mutanda censuerint, quæ populis diuturno vsu placuerant: sed ea populis retinere permiserint, iis admissis quæ victores secum Iura deferebant, aut pro Imperio suo deinceps stabiliendo edicebant. Nec absimiliter fortè Poloni, Lituani, Lusatij, Silesij, Saxonum Iure vtuntur. Pet. Roys *in præfat. decis. Lituan*, quòd olim fortè apud eos Saxonum arma peregrinata fuerint, aut per commercia Saxonum leges placidè instillatæ citra imperium, tamquam hospites, receptæ sint. Jn casu autem dubio an ciuitas aliqua, aut prouincia Iure Romano an alio vti

præ-

præſumatur? omnes circumſtantiæ, & annales, & priſca ſtatuta excutienda ſunt. vt in Sicilia quærit Maranta *Queſt. leg. diſp.* 2. an Romanæ leges, an Longobardæ præualeant?

Igitur vt ad conſtitutiones & edicta Principum redeamus, quod Principi placet legis habet vigorem: ſiue edixerit, ſiue reſcripſerit, ſiue interlocutus ſit. *l.* 1. *C. de conſt. Princ.* dummodò conſtet voluiſſe Principem vt interlocutio vim conſtitutionis haberet. *l.* 2. *&* 3. *eod.* quare nec ſententiæ in Parlamentis ſupremiſve Conciliis latæ vim legis habent, niſi conſtet eâ mẽte ferri: cùm alioquin non exemplis ſed regulis ſit iudicandũ. *l. nemo.* 13. *C. de ſenten. & interloc.* qua de re Chriſtin. *vol.* 1. *d.* 1. *vol.* 2. *d.* 51. *vol.* 2. *d.* 63. 65. In Jmperio hodie conſtitutiones fieri ſolent in plena Principum & Ordinum congregatione, conſilij atque examinis ergò, iuxta *l.* 8. *C. de conſtit.* & facilioris obedientiæ causâ: cùm plerique Imperij Status multa ex ſuprema poteſtate ad ſe traxerint; ſaluo tamen ſemper ſupremo Imperij apice, ſeu ipsâ ſoueranitate. vnde dicitur Imperator etiamnum priuilegia ſolus contra leges tribuere. In Belgio, vt diximus in Præfatione, Principes ſolent ſuper legibus ferendis conſulere ſuprema Concilia: quin & prouincialia: & olim frequentiùs ſeu generales ſeu prouinciales Ordines. vt apud Brabãtos olim Conuentus Cortenbergenſes, quemadmodum & tabulis legum Brabanticarum iuxta Ducem magna nobilium pars ſua ſigilla *an.* 1312. appendit.

Quapropter hoc in Opere, Conſtitutiones, Edicta, Ordinationes, Placita, Decreta, Reſcripta Principum ſummatim indicabimus: nihil de ſingularium territoriorum conſuetudinibus dicemus; ſed de moribus quaſi generatim Belgicis dumtaxat, vbi ſe per opportunitatem ingerent. cum ea tamen præmonitione, vt ſæpiùs dum mores citamus, videri nolimus tales aſſerere, qui nullibi per Belgium non obtineant; ſed magis vulgariter quidem, tametſi loca quædam aut alios ſeruent, aut Ius retineant: atque inſuper male ſtudiis ſuis & reip. conſulere, qui neglectis moribus noſtris Gallicos ſemper legunt,

laudantque auctores: quorum plerque decisiones regni illius edictis axiomatibusque innituntur: cùm nos moribus nostris viuamus; adeò eorum curiosi, vt in Brabantia iurent Principes se curaturos, vt ij antiquum obtineant, vt omnes inueteratę consuetudines seruentur. quibuscum immanè diffident Galliæ edicta, axiomata, scriptorumque illorum sententiæ quæ inde deducuntur.

Quare E. 15. *Nou.* 1531. *ar.* 3. omnes iubentur, vt diximus, ad Curiam prouincialem mittere emologandas suas consuetudines. & negligentes E. 12. *Iulij* 1611. rursus monentur, vt id præstent intra sex menses, vt quiuis de iure suo certiorari possit, & subleuari à sumptuoso onere probandi consuetudines, quoquo loco inueteratas, quod comitem sæpè habet opinionum & testimoniorum contrarietatem.

Additque E. 12. *Iulij* 1611. *ar.* 2. vt prouincialis Curia huiusmodi mores examinet, & iudicium suum vnà transmittat ad Principem, quasque consuetudines habeat pro notoriis, quæque vt tales sine sumptu informationum emologari possint: & si quid in iis quæ olim decretæ sunt obscurius aut iniquius deprehenderint, simul indicent, quâ luce, quâ mutatione opus videatur.

De rescriptis.

SÆpè per malas artes, importunitatemque postulantium contra ius vtilitatemque publicam impetrantur rescripta, vnde iubentur Iudices secundum iussionem exspectare. de Rescriptis autem Romanis, quatenus placito Regio egeant, videnda sunt Edicta 28. *Octob.* 1493. 29. *Maij* 1497.

Rescripta iustitiæ perennia sunt. *l. falso. C. de diuers. rescript.* quæ tamen Iudicis probatione egent, anno pereunt: *c. plerumque. de rescript.* vnde praxis induxit ad vitandas controuersias, vt renouetur rescriptum, si Iudici intra annum præsentatum non sit.

De

De modo mulctæ.

MVlctam dicere ad solos magistratus iure pertinuit. *l. aliud.* 131. *§. fin. de verb. signif.* denegatum defensoribus ciuitatum. *l.* 1. *&* 5. *C. de defens. ciuitatum.* hodie oppidorum & pagorum minimi Iudices mulctant, pro modo iurisdictionis, assumpto argumento *l.* 2. *si quis iusd. non obtemp.* & quia plerisque præter censuales & feudales curias apud nos omnia causarum etiam criminalium genera cognoscenda permittuntur, & cedunt mulctæ dominis locorum, & quæ per Regios Judices aut Consilia infliguntur ipsi fisco. *ex Ord. penult. Maij* 1627. potest pars operi pio applicari. alioquin non debent, nisi ad fiscum diuerti. Iud. apud Christin. *vol.* 2. *d.* 86.

De edendo.

EDit apud Iudicem actor suam intentionem, vt olim formulas actionum impetrabat, antequam aduersarium in ius vocaret. Et quoniam plerumque ex contractibus, testamentis, aliisque similibus causis actiones formantur; æquum est illorum instrumenta illos edere, qui in rem suam ea citant.

Sed & Argentarij rationes edere tenentur, eorumque hæredes iis, ad quos spectat, eorum hæredibus, quorumque, & quoties interest. *l.* 4. *§.* 1. *§. etiam. l.* 7. *l.* 10. *D. de edendo. arg. l.* 3. *§. sciendum. D. ad exhib.* & consonat constitutio Gallica, de qua Costal. *in d. l.* 7. Ad horum rationem multò magis acta sua edere tenentur notarij, scribæ, Graphiarij, serui publici, eorumque hæredes: nisi iam in archiua publica delata sint: tum enim qui in officia successerunt, quibusque custodia & functio demandata est, id præstant. Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 20. iubet edi appellantibus acta prioris instantiæ omninò intra mensem. Constitutione quidem Gallicâ notarij tantùm ipsis contrahentibus edere tenētur, sed

tamen à Iudice ex causa, si cuius interest, & huic edere coguntur.

Non vtimur *Auth. offeratur. C. de litisconte∫t. Auth. generaliter. C. de Episc. & cler.* vt actor citato libellum offerat, porrigat, seu edat. sed à Iudicis notario seu scribâ libelli exemplar reus accipit: instruuntur tamen aliquando lites communicatoriè, vt pragmatici vocant, & libello oblato Iudex in margine eiusdem decernit, vt desuper aduersarius ad certum diem respondeat, isque libellus cum decreto per nuntium aduersario porrigitur: eodemque vlteriùs modo ea lis peragitur.

De in Ius vocando.

Citatio sine iussu Judicis fieri nequit. multis tamen locis nuntio generalis datur. qui ita tamen accipiendus est, vt nihil insolitum habeat; ideoque non extenditur ad citationem quæ facienda est per edictum, per tubam, per campanam, minùs per apprehensionem, quæ realis est citatio: nisi fortè in fragranti crimine reus deprehensus sit. *l. 1. C. vbi Senatores. l. 1. C. quando liceat sine Iudice vendic.*

In personam facienda est citatio, & si reus non inuenitur, ad domum: & hanc vsus sustinet, quamuis nuntius reum curiosè foris non quæsierit. Si porrò reus non in loco iudicij habitet, tum actor, tum reus domicilium sibi eligunt. Imbert. *l. 1. Instit. forens. c. 30.* Merula *lib. 4. prax. Holl. dist. 4. sec. 3. tit. 5. n. 4.* vagabundus autem, & qui latet per edictum citatur. Gail. *lib. 1. obs. 57. n. 4.* & generatim creditores absentes, cùm de pacto cum debitore ineundo agitur. *arg. l. etiam 29. §. fin. D. de minor.* qui ad asylum confugiunt, citari realiter, atque inde educi non possunt. *Nouella* 17. quod productum est ad omnes, qui ad Ecclesiam confugiunt, *l. 2. C. de his qui ad Eccl.* saluis distinctionibus, quas tum leges, tum canones *tit. de immunit. Eccl.* tum Greg. XIIIJ. constitutio adhibet, & mores recipiunt.

Apud nos propter incommoda Edictorum, quæ non perue-

ueniunt ad omnem notitiam, obtinet, vt qui per edictum citantur intra Principis prouincias domicilium habentes, per specialem nuntium ab ostiario moneantur per litteras copiam citationis & relationis continentes, ex E. 11. *Ian.* 1535.

Sed & ligitima citatio in tempus idoneum fieri debet, in feriatam diem facta citatum non astringit.*l.2.si quis in Ius vocatus nō ierit.l.fin. C.de feriis.* quod tamen secus est receptum *in c. dilecti: de dol. & contumac.* vt ad proximum diem censeatur dilata. quod moribus ferè obtinuit. fortè propter clausulam passim vsurpatam, vt si dies præscripta iuridica non erit, in proximè sequentem iuridicam citatus compareat.

Dum facit sacra Pontifex, sacerdotésve, in Jus vocari non debent, neque dum ex suggestu verbum Dei proponunt. vasallus feudi dominum in Jus vocare non prohibetur, quia quamuis liberti & patroni speciem aliquam præ se ferant, fragilis tamen ea est, quia obligatio inter hos quàm illos maior est: tota hæc ex beneficio reali nascitur, illa ex manumissione personæ, cuius libertas res est inæstimabilis; res autem feudalis prætiari potest: præsertim dum vt hodie instar reliqui patrimonij possidetur. de dolo tamen actio dari non debet: quia honori domini parcere tenetur. *inf. de dol. & cont.*

Magistratus maiores olim conueniri non poterant.*l. 2.D.de in ius voc.l.nec magistratibus.D. de iniur.*hodie secus obtinet,ne audacter grassentur.

Quamuis multi æstiment sine venia prætoris patrem hodie in Ius vocari posse, Bugnion. *l. abreg.l.* 3. *Synt.* 104. tamen non solet apud nos: vt tamen fiat, quod sæpiùs vidi, numquam tamen filium vidi pœnam pendere 50. aureorum ab edicto propositam

In Ius vocari quis potest quamuis non antè amicè interpellatus, ex *l. quidam.D. de seruit. vrban. præd.* quæ seruabatur cùm actionum formulæ à magistratu peterentur: hodie vrbanitas amicam interpellationem exigit quidem, sed non inficit eius omissio actionem, idemque dicendum de hæredibus ante no-

num

num diem in Ius non vocandis, ex *Auth. item qui. Auth. sed neque. C. de sepulch. viol.* vt honestati id tribuendum sit hodie, non necessitati.

Quòd in citatione reali lege cauetur, ne quis de domo sua, quæ tutissimum cuique refugium est, in Ius vocetur, *l. pleriq. D. de in Ius voc.* vsquequaque per mores non obtinet, sed verbaliter ad domum citatur quilibet, & realiter in criminalibus, præuio tamen iussu magistratus, nisi specialius priuilegium obstet, quale in Brabantia pleræque famosiores ciuitates habent. Sed nihilominùs E. 12. *Iul.* 1611. non ex lubitu officiariorum reales citationes admittit, sed sub graui cautione. de qua *inf. tit. de modo proceden. in crimin.*

De pactis.

Lites cœptæ sæpè in pacta, transactionesque desinunt; quas rei in ius vocati circumspiciunt. ex consensu fiunt pacta, neque pacisci quis cogitur ordinariè. sed cùm debitor soluendo non est maioris partis pacto ceteri accedere coguntur, quo eum liberent. *l. 7. in fin. l. 8. D. de pact.* sed contra decretum est E. 4. *Octob.* 1540. ne dentur litteræ, quibus creditor cogatur consentire pacto, quod debitor inierit cum maiori parte creditorum, quo pars debiti remittitur, aut dies sine cautione prorogatur. vtrumque tamen Antuerpiæ vtilitatis publicæ causâ secus receptum, siue ex iure retentum est, vt se pars minor maiori conformet, quoad innoxios debitores.

De transactionibus.

Pactum & transactio etiam à magistris Vniuersitatum fieri potest. *l. 14. D. de pact.* nisi debitum sit liquidum, aut pactum ambitiosum. *l. 37. eod. t.* 12. *C. de transact.* nam neque donare potest etiam qui mandatum habet cum libera potestate. *l. filiusfamil. 7. de donat. arg. l. contra 27. §. final. D.* de

de pact. quare nec in liquidis, aut magni præiudicij negotiis Prælatus ſine Capitulo tranſigere poteſt. *c.* 3. *x. de tranſact.* & ibi Gloſſ. in minoribus poteſt. Panorm. *ibid.* donare ſiquidem & res minutas poteſt, *d. l. filiusfam. verſ. nonnumquam.* pro qualitate ſuæ dignitatis; magis ergo tranſigere in rebus obſcuris, & minoribus, quando vtrimque de Iure ſuo partes aliquid decidunt, inuicem dant, & accipiunt: de rebus autem immobilibus tranſigere ne quidem cum Capitulo Prælatus poteſt, ita vt iis Eccleſia careat, arg. *l. Lucius.* 46. *D. de admin. tut. l.* 4. *C. de præd. min. l. nulli. C. h. t.* ſine Superioris interceſſione, *tot. tit. de reb. Eccl. non alien. c. ſtatuimus. c. veniens. x. de tranſ.* ſed vt Eccleſia res immobiles tranſigendo datâ inuicem pecuniâ retineat, rectè fieri ſolet. niſi magna pecunia ea ſit, & Prælati conſumptioni non permiſſa, vtpote in emptionē immobilium, aut pro ſecuritate inexſpectati caſus in theſaurum ſepoſita. & ita ferè vtimur. valetque in hac re conſuetudo, *l. plures. §. cùm tutor. D. de adm. tut. d. c.* 3. neceſſitas, *l.* 3. *C. eod.* obſcuritas, *l. præſes.* 12. *C. de pact.* quantitas, *d. c.* 3.

Poſt rem iudicatam tranſactioni non eſt locus. *l.* 7. *de tranſact.* niſi in dubium vocetur, & nullitatis arguatur, *l.* 11. *eod.* aut exceptiones ſuperſint, quæ poſt ſententiam opponuntur. *l.* 1. *C. de iur. & fact. ignor.* reuiſio impetrata ſit, guarentigiata inſtrumenta, Bart. *in d. l.* 7. quia certa ſunt, & paratam habent executionem, tranſactioni ſubiacere negat. rectè quidem cùm certa ſunt: ceterùm ſi vitium formæ allegetur, aut quid ſimile, ad deciſionem *d. l.* 11. pertinent.

Non poteſt tranſigi ſuper alimentis futuris ex vltima voluntate debitis ſine prætore. *l.* 8. *D. h. t.* ſed ſuper debitis ex contractu. *l. cùm hi. §. planè. D. eod.* ſed Senatus Pariſ. 20. Ian. 1605. quemque de quibuſuis hodie poſſe tranſigere cenſuit.

Non poteſt tranſigi ſuper lite pendente per appellationem in ſuprema Curia, niſi de eius conſenſu. Iud. apud Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 96. tum ob illius reuerentiam, tum fiſci compendium, quod ex mulcta temerè appellantis exſpectat. numquam tamen ſolet veniam non dare Curia & probare tranſactionem in ciuilibus cauſis.

Ex transactione quamuis sine stipulatione facta mores nostri non exceptionem tantùm, sed & actionem concedunt. vt ex omnibus pactis; sed hac vel eò magis, quòd vtrimque aliquid datur, vel accipitur, vel remittitur: sub quo comprehenditur quòd vel solùm à lite discedi tur.

Accusare vt olim priuatis licuit, ita transigere super crimine præter adulterium, & quod capite puniretur, non licuit. *l. transigere. C. de transact.* hodie licet transigere, non accusare. nam publici officij nunc sunt accusationes. hęres etiam de patris nece transigit hodie.

Edicto 1611. 12. *Iulij. ar.* 44. cauetur, ne liceat officiariis cum reis transigere super criminibus extremo supplicio, perpetuo exilio, seu aliâ corporali pœnâ secundùm edicta patriasque consuetudines dignis: & vt procurator fiscalis huiusmodi Officiarios & reos Iure prosequatur, nisi sicubi Principes aliud priuilegium concesserint. quo & facit *ar.* 13. E. 9. *Iul.* 1570.

Transactio autem, quæ fit inter Iudicem & reum, nihil imminuit ius læsi, vel hęredum occisi; nec contrà huius, proximi. siquidem transigere possunt, etiam mulier per mores. (etsi leges Romanæ hæredem mortem non vindicantem priuent hæreditate, vt indignum) Christin. *vol.* 1. *d.* 152. proximorum tamen transactio reliquos excludit, & in Brabantia abolitio aut remissio non potest dari sine illa, nec alibi solet, ex Edictis. *de quibus infra tit. de abol. & remiss.* qui autem ante alios, & quomodo super occiso transigant, benè ex moribus nostris Damhouder. *prax. crim. c.* 145. & Consuet. Antuerp. *tit.* 22.

De postulando.

NOn succedentibus transactionibus, desiderium suum actor apud Iudicem exponit, ab eoque postulat, quod ab aduersario amicè obtinere nequiuit.

Postulare fœmina iure pro aliis non potest, sed Germaniæ

&

& Belgicæ moribus nec postulare pro se potest, & sine curatore ad actum voluntariæ iurisdictionis legitimam personam standi in iudicio multis locis non habet: minùs pro propinquis postulare potest.

Infames postulare nequeunt, *l.* 1. *§. remouet. de postul.* procurare possunt. *§. fin. instit. de except.* non tamen in Camera Imperij. Gail. 1. *obs. 43. n. 7. 8.* adeoque nec hîc apud summa subsellia ob eorum dignitatem.

Vnde & hoc animaduertendum, procuratores apud summa subsellia non amittere nobilitatem. Iud. à Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 2. d.* 101. de Aduocatis nemo dubitat: imò nobilis eorum status est, quamuis sit obscura natiuitas. *l. 1. C. de Aduoc. diuers. iud. l. quisquis in fin. C. de postul.*

Aduocati munus suscipere vetatur *l. petit. C. de Adu. diuers. Iud.* nisi qui quinquennium Iuris studio insudarit: hodie ea tempora non seruantur: sed idonei citiùs laureâ donantur in Vniuersitatibus: sine qua apud suprema subsellia non recipiuntur, sed apud inferiora pleraque nec illâ opus est iis, qui fiduciam habent studiorum. apud nos designati esse debent illi in Vniuersitatibus Regiis. E. 4. *Martij.* 1569. 7. *Februarij* 1587.

Collega contra collegium postulare non potest, adeoque nec clericus contra Ecclesiam, neque secretò consulere, ne quidem si diuersa beneficia obtineat pro vna contra alteram, nisi in altera sit Prælatus. & similiter vasallus contra beneficij dominum postulare non potest, quin feudo priuetur: nisi permittat dominus, aut iubeat magistratus. Bus. *in comment. ad l. pen. & vlt. D. de postulat.*

Iis qui Aduocatum non habent, dat prætor *l.* 1. *§. ait prætor. D. de post.* moribus & plerarumque Curiarum institutis cautum est, vt Aduocati pauperibus operam gratis præstare teneantur: & si iussi à Iudice contumaciter negauerint, ex albo expungi possint. non etiam malè plerisque locis senior aliquis Aduocatus pauperibus, præsertim in criminalibus causis, officium impēdere tenetur, & honorarium aliquod ex publico percipit.

Ex quibus causis infamia irrogetur.

INfamia est quam iuris auctoritas ob turpem causam irrogat. cuius varia genera *D.de his qui not. infam.* recensentur. quorum autem apud bonos nomen grauatur extra has causas, non iure infames, sed facto censentur. quibus. Canonistæ iungunt eos, qui graue aliquod peccatum mortale commisisse noscuntur. *c.infam.* 6. *q.* 1.

Iniuriarum damnati infames sunt. Ideoque magistratibus conuenit, si animi leuitate pro more gentis in rixas & conuitia itum est, in sententia præseruare existimationem damnatorum, si autem secus iniuriæ atrocitas postulet, rectè formidari leges atque iudicia patientur. Sed & iterùm quacumque actione conuentus vitat infamiam, si per procuratorem litiget, & in hunc sententia concipiatur. sed hic modus hodie non frequentatur; sed magis prior. etsi enim per procuratorem actum sit, sententia tamen concipitur in reum.

Qui quæstus causâ in scenam prodeunt, infames sunt. *L. 1. vers. qui art. l. 2. §. fin. §. de his qui not. infam.* quò referendi sunt circulatores hodierni, lucri gratiâ actiones ostentantes. *Gloss. d. §. fin.*

Infamia quæ ex bonæ fidei actione damnatis iure incumbebat, moribus non innotuit: vt nec à dignitatibus tales arceantur.

De Procuratoribus.

MOres procuratorum forensium officium, quod iure priuatum fuit, publicum fecerunt: ad eosque multa transtulerunt quæ Aduocatis incumbebant. seliguntur, iuramentum præstant, inuiti partibus officium præstare compelluntur. Et multi notariorum & procuratorum officio iidem funguntur. quod credunt alij esse contra *l. vniuersos. C. de decur. & l. 2. de tabul.* sed in eadem quidem causa fieri id.

id nequit, ſed neque priuatus recipitur, ex *l. erigendi. C. de procur.* ſub cautione ad litem alterius defendendam; ſed procurator albo publico inſcriptus. qui tamen litteras aliáſve mandati probationes habeat, & mandatum legitimum infra breuem terminum exhibeat.

Fœmina procuratrix nō eſt. *l. feminas 41. D. de procurat.* & mores hîc vix quidquam eam per ſe ſine tutore agere permittunt. & ſingulare eſt vt Pontifex Abbatiſſam procuratricem ſtatuerit, defendendi Iuris Sedis Apoſtolicæ *in c. cùm dilecta. de confirm. vtil.* ſed quod ſimul connexum erat cum iure exemptionis Abbatiſſæ, vnâ eâdemque operâ defendendum.

Procuratorem non dat excommunicatus. *Clem. vnic. de procurat.* neque bannitus ex Regno integro: ſed relegatus ex territorio municipali. Gail. *lib. 2. de pace pub. c. 12.* neque captus ab hoſtibus. *l. ab hoſtibus. D. ex quib. cauſ. maior.* ſed hoc propter Iura ſeruitutum: quibus inter Chriſtianos ſublatis, ea deciſio ceſſare videtur. & videmus captiuos per litteras & amicos de rebus ſuis, vt lubet, diſponere.

Morte mandantis mandatum finitur, niſi res deſierit integra eſſe. *l. ſi defunct. D. de procurat. §. rectè. inſtit. mandat.* vt deſinit maximè per conteſtationem litis; quâ procurator fit dominus. *l. nulla. C. de procurat.* Itaque principali mortuo moribus ferè vbique receptum eſt, vt heredes citentur ad reſumendam litem: quamquam nec id neceſſarium ſit. Gail. *l. 1. ob. 109. n. 6. & 7.* neque curſum à procuratore continuandum impediat. Buſ. *ad d. l. ſi defunctus.* ſed Iure Canonico per mortem rectoris Eccleſiæ omnimodo ſoluitur mandatum. *Clem. vn. de procurat.* quod nec abeſt à ratione, quippe cuius vti vſufructuarij Ius omne per mortem perimitur, adeoque nihil tum ſupereſt, quò eius mandatum porrigatur.

Quod cuiusque vniuersit.

COllegia licita Ius arcæ habent, *l.* 1. *§. quibus. D. quod cuiusq; vniuers.* ad pecuniam communem seruandam, communi consensu collectam. nam iure decuriæ maior pars non consentientes grauare non potest, sine Principis permissu. *l.* 2. *&* 3. *C. nou. vectigal. instit. non poss.* Bus. *ad d. §. quibus.* nisi secus vetus cōsuetudo permittat. vt multis ciuitatibus & Principibus non supremis in vsu immemoriali est. In plerisque Belgicæ vrbibus Magistratus, Optimates, Collegia vota conferunt, & quod potiori parti placuit, Principi exponitur, qui necessitati auctoritatem accommodat. potior autem pars non ex numero suffragantium dicitur, sed ex pondere, quod singulis iam est olim tributum.

Ordinum etiam singularum Prouinciarum, & deinde Generalium mira hîc proportio. sed ea non est huius loci. his tamen ob belli tempestates indultum, E. 16. *Ap.* 1594. vt debita per Status Generales contracta, quibus singuli in solidum tenerentur, cognoscenda reseruentur Gubernatori generali, & singuli litteras ad Audientiarium deferant, & Gubernator Iudices deputet, coram quibus omnes Ordines litteris comprehensi, non singuli conueniantur: aliique omnes Iudices abstineant à cognitione huiusmodi causarum: quin & instructas eò remittant; nec ius quisquam suum externis cedat, sub pœna damnorum exinde secuturorum. Quæ ordinatio vt iusta ex causa fuerit inducta, ab aliquibus tamen in grauem abusum tracta est, vt difficultate conueniendi, atque aliàs plurimum nomina summis Reip. necessitatibus vtilissimè contracta, creditorum damno iniustissimè inutilia fiant. Sed & E. 17. *Feb.* 1577. *ar.* 18. de Ordinum debitis statutum est pleniùs. & E. *vlt. Octob.* 1587. de quo inf. *tit. de reditibus.*

De

De his quæ vi aut metu.

ACtio metus causâ seu in factum ex doli coactionísve occasione in annos 30. datur: in simplum scilicet, *l.* 14. *D. quod met.* Quod metus causâ gestum est nullo tempore prætor ratum habet. *l.*21.*§.quod met.D.eod.*sed E.12.*Iul.* 1611. *ar.* 29. rescissionibus tempus annorum decem præscripsit. Contractus porrò non ideò rescinduntur quòd obsidionis tempore sint facti. *Extrauag.prag. Const. Iustin.* 7.

De dolo.

IN parentes aut patronos famosa de dolo actio danda non est, sed actio in factum. *l.*9.10.11.12.*D.de dol.*quòd mores ad vasallos & dominos feudorum transtulerunt. *c.* 1. *de mil. vasal. qui contum.fuerit.*Sichard.*ad l.si superstite.n.*4.*C.eod.* hominesque proprios, & dominos prædiorum in Germania, Polonia, &c. Inter quos ferè Iura patronorum & libertorum obtinent. Ias.*l.*1.*in sing.res.c.* 3. *n.*34.

Visum est quibusdam differentias actionum bonæ fidei, & stricti Iuris, moribus Christianis esse sublatas; cùm omnia negotia bonâ fide peragi inter nos oporteat: sed ita res se non habet: neque enim à stricti iuris negotiis dolum abesse non oportet: sed denominatio à liberiori interpretatione aut strictiori sumpta est: ideoque quòd singulari constitutione Galliæ in aliquibus locis ea differentia sit sublata; Imbert.*enchir.iur.Gal.c. de euiction. an liceat agere vbi lis auctori non fuit denunciata*, ad alia loca non est porrigendum.

De in integrum restitutione.

REstitutio in integrum in foro sæculari hodie à Principe impetratur. cuius litteræ ad Iudicem diriguntur, qui de causa cogniturus est: vt & de precibus cogno-

noſcat, & ſi ita res ſe habeat in integrum reponat. quin & in quæſtione nullitatis, vis, metus, læſionis vltra dimidium, condictionis indebiti, vel ob turpem cauſam, & generaliter quando quis factum ſuum vult irritari, vſus introduxit, vt remedium à Principe poſtuletur. ſed credo magis ſecuritatis, vitandæque calumniæ, quàm neceſſitatis gratiâ eam praxim introductam.

Maior rem tradens in minori ætate venditam, non cenſetur alienationem approbare, ſed in conſequentiam facere tantùm, & ſic nec excludi à reſtitutione. Iud. apud Chriſtin. *vol. 2. d. 133.*

Reſtitutio aduerſus contractum iuratum in Gallia, Bugnion. *leg. abrog. l. 1. ſat.* 198. etiam à ſæcularibus conceditur religioſiùs adhuc nos ad Eccleſiam, ex *c. fin. de for. comp. in* 6. ad effectum agendi recurrimus, ac deinde litteras Regias reſtitutionis in integrum impetramus.

Minorum reſtitutio obuia non conceditur iis, qui veniam ætatis impetrarunt. *l. 1. C. de his qui ven. imp.* ſed eum titulum Bugn. *leg. abrog. l. 1. ſat. 110.* cenſet abrogatum, neque hodie veniam impetrari: ſed apud nos frequentatur: præſertim in iis, qui præcociâ induſtriæ ætatem præcurrunt, & mercaturæ ſe addicunt. tamen ſub ea immobilium alienatio nec per leges nec per mores datur.

Ideoque vt lite pendente vel poſt prouocationem, non liceat Imp. ſupplicare, vſus abrogauit: ſed in omni litis parte ſupplicatur hodie, & litteræ Regiæ obtinentur, ſed expreſſo litis ſtatu, eoque non obſtante.

De temporibus in integrum reſtitutionis.

PORrò E. 1611. 12. *Iulij. ar. 29.* reſtricta tempora reſtitutionum, vt omnes reſciſſiones & annullationes contractuum fundatæ ſuper læſione quantumcumque magnâ, fraude, circumuentione, metu, vi maiori præſcribantur de-

decem annorum continuorum lapſu, à die actus, aut ceſſantis impedimenti, iuris aut facti.

Militi tempora reſtitutionum durante militiâ continuantur. *C.de reſtit.mil.* & aduerſus lapſum reſtituitur. Iud. Chriſtin. *vol.2. d.138.*

De arbitris.

QVamuis arbitria ad morem iudiciorum ſint redacta, *L.1. & 36. D.de arbit.* & iudicia in feriis ceſſent; *L.1.6.9. d. 6. vlt. x. de fer.* arbitria tamen diebus feriatis tractantur. Menoch. *de arbit. iud. caſ. 30. n. 12.* quod mores recipiunt. præſertim quando arbitri non adſtricti legibus, ſed vt viri boni & arbitratores ex bono & æquo ſecundùm conſcientiam iudicant: quibus ex compromiſſo datum eſt à rigore ſcripto, & iure partium nonnihil recedere, vt expediantur mutuâ contentione litigantes, quando ita bonum & æquum eſſe videtur.

Moribus negant obtinere *L. diem proferre. §. ſi plures. verſ inde. D. de rec. arb.* nullaſque ſententias eſſe arbitrorum & Iudicum; cùm 1. in 15. 2. in 10. 3. in 5. condemnat, & quaſi fauentem allegant *l.4. C. de ſent. quæ ſine cert.* ſed nihil ea ad hanc ſpeciem facit, ſed incertitudinem quantitatis generaliter, quam Iulianus hîc negat, *quia*, inquit, *in hanc ſummam omnes conſenſerunt.* Sed cùm per mores arbitria valdè ſint eneruata, facilè ex hac cauſa reductioni locus dabitur; ſuperior etiam Judex facilè ab inferioris ſententia appellationem recipiet.

De ſatiſdando.

CAutiones prætoriæ ferè ſolæ fideiuſſionibus fiebant. *L. prætor 7. de præt. ſtip.* vnde ſatiſdationes ſic ferè accipiuntur. *l. 1. & tot. tit. D. qui ſatiſd.* mores tamen iudiciales cautiones etiam pignoribus permittunt. Weſembec. *in*

parat.

par. 11. cod. n. 7. cautio iudicatum solui, & iudicium peragi vix hodie seruatur. Imbert. *lib.* 1. *inst. for. c.* 30. Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *sat.* 73. nisi litigantes alienæ iurisdictionis sint.

De iuramento calumniæ.

CAlumniator ex priuato iudicio non fit infamis, quamuis ex Constitutione Caroli. V. secus videatur. Busius *D. ad l.* 1. *D. de his qui not. infam.* qui & nō frequentari censet Nouellam 112. *c.* 1. quæ decimam litis partem pro expensis calumniatorem refundere cogit; quam alij tamen alibi obseruari tradunt. sanè apud nos pœnam earum irrogatam numquam vidi.

Nihilominus E. *vlt. Aug.* 1586. reorum, patronorum, procuratorum, solicitatorum, temeritatem, calumniam, dolosam tergiuersationem, ac leuitatem mulctis coërcet, quin etiam suspensione, si culpa grauior fuerit.

Fiscalis Procurator in Camera Imperij non præstat iuramentum calumniæ, quamuis pars postulet. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 74. Gail. *lib.* 1. *obs.* 90. quamuis iure verius sit eum teneri, cùm diserto iure non eximatur; & receptum sit priuilegiatum Fiscum non esse, nisi lege caueatur. consuetudo autem aliter seruat. Gail. & quos citat. Moueri tamen à Iudice Fiscalis potest, vt memor sit iuramenti in officij ingressu præstiti, sub illiusque obligatione agat aut respondeat ad id quod petitur.

LIBER II.

De Iudiciis, & qui pro sua iurisdictione Iudices dare possunt, & de Iudice delegato.

IVdicium exercere opus Dei est. ideò inuenti Reges, Principes, Iudices. summum horum crimen est negata Iustitia. In tabulis legum Brabantiæ etiam dilata post tertiam requisitionem Iudicem officio priuandum legimus. sed hodie litium multitudo, & actorum magnitudo non facilè isti pœnæ locum facit. si qua tamen est tergiuersatio, solet adiri Princeps, isque litteris, quas Iustitiæ vocant, mandat, vt causa, si disposita est, expediatur: quin & deinde tergiuersante adhuc Judice, causa euocatur. Solet etiam à dilata, denegataque iustitia appellari: præsertim in Curiis Ecclesiasticis. sine qua appellatione etiam nunc Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 20. post biennium facultatem facit adeundi Iudices superiores.

Alioquin Iudiciorum hodie instantiæ biennio aut triennio non finiuntur per mores, sed ob litium multitudinem, tardigradum ordinem, & malitiam temporum perpetuantur. vt nec vsum habet titulus, *vt infra cert. temp. crim. quæst. term.* nisi quòd & nonnullibi mores instantiæ interitum admittunt, sed facilè restaurant.

Quibus de rebus ad eumdem Iudicem eatur, negat quæri in Gallia Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *sat.* 181. sed apud nos is tutulus legesque id genus non cessant, vt ob idem negotium causæque continentiam ad eumdem Judicem eatur, dummodo vocandi subsint mediatè saltem eidem: non verò si extra prouinciam degant, quæ alterius supremum resortum non agnoscat.

Iudicium soluitur vetante eo qui iussit iudicare. *l.* 58. *D. de iud.* sed Brabantiæ Principes iurant cursum Iustitiæ se non impedituros, sed vnicuique ius dici iussuros, tribunalia consueta

seruaturos. quod tamen non impedit, quò minùs, si qua iusta causa fuerit, ab aliquo Iudice lis auocetur, & per alterum iustitia administretur. vt indies fit.

Enimuerò E. 22. *Septemb.* 1500. de Iudice delegato id decretum, vt nullæ Conseruatoriæ locum habeant, nullus iis vtatur, Conseruatores abstineant. Principes tamen ab eo edicto Vniuersitatem Louaniensem exemerunt, pluraque Collegia. ex quo edicto etiam iudicatum, non posse aliquem, ex loco vbi illud obtinet, citari ad locum Conseruatoris, vbi publicatum non est. Christin. *vol.* 1. *d.* 53.

De sportulis, & expensis.

EX tabulis leg. Brab. an. 1312. Iudices qui equites aut pedites proficiscuntur, sportulas à domino accipiunt, tabulis pro caritate illorum temporum taxatas.

Latum E. *23. Maij.* 1401. *& vlt. April.* 1407. de carcerum præfectis commentariensibus, salariis, & annonæ taxis. nec non E. *vlt. April.* 1541. 7. *Octob.* 1546. (idemque & de mercede carnificis) sed & E. *crim.* 1510. *ar.* 8. 39. 40.

Sed & E. 8. *Septemb.* 1518. præscribitur taxa salarij Officiariorum pecunias publicas exigentium, quæ nullatenus excedatur.

Insuper E. *1611. 12. Iulij ar.* 6. omnibus executoribus, accensis, ostiariis mandatur ne quem concutiant, mandata ritè exequantur, cum modestja tamen congrua, & reuerentia, præsertim extraordinarij, qui magis diffiti licentiùs solent peccare. ad quorum coërctionem recurrere liceat ad locorum magistratus; qui querelas & accensorum excusationes, testesque audire possint, & ad Curiam vnde viator venit, mittant. quæ porrò prouideat.

Viatorum sportulæ olim secundùm quantitatem causæ, hodie pro ratione itineris, laboris, periculi soluuntur, in singulorum tribunalium ordinationibus & stylo præscriptâ taxâ.

Ne

Ne quis in sua causa Ius dicat.

QVamquam omnes sentiant Principem supremum sibi Ius dicere posse, non tamen id in vsu vmquam apud nos fuit. Sed Principes nostri extra iudicium, & iustitiam à Iudicibus constitutis administrandam neminem malè excipiunt; in neminem vi atque imperio, sed lege atque iudicio agunt. In causis tamen fiscalibus obtinuit, vt in suprema etiam Curia Aduocatus Fiscalis interueniat, etiam examini testium contra Fiscum productorum, & decisioni intersit. Christin. *vol.2.d.100.* quin tamen aliter populo magis appareret Fisci causas æquâ cum aliis lance trutinari dubium non esse idem dicit *d.111.in.fin.* præsertim cùm iure Fiscus priuilegiatus non sit, nisi disertâ lege exprimatur.

De causa possessionis & proprietatis.

CAusa possessionis & proprietatis nihil commune habent, sed in concursu ordo cognitionum exigit, vt sciatur quis petere, quis defendere debeat, possessor scilicet, adeoque quis is sit, qui possideat. Et quamquam *c. 2. h. t.* sub eodem Iudice possessoriam, & petitoriam causam discuti simul permittat; id tamen Iure ciuili incognitum fuit: neque mores solent admittere, vt possessorium alibi tractetur, quàm apud Regios Iudices, & in beneficialibus pendente ibidem possessorio, non potest coram Ecclesiastico de petitorio cognosci: sed demum lite ibi finitâ, & plenæ executioni mandatâ sententiâ. Attamen in materia ciuili in Conciliis possessorium retinendæ, totumque Ius proprietatis nonnumquam simul deducitur.

Quibus conformiter E. 20. *Maij.* 1597. ne beneficiorum, & diplomatum Romanorum causâ quis extra patriam trahatur, sed in possessorio cognoscat Principis Concilium, in petitorio Or-

dinarius loci in prima instantia, & in causa appellationis ante definitiuam quidem obtineat appellans delegatum intra patriam.

Edicto porrò *25. Ian. 1524.* decretum, vt quisquis in Flandria priuilegiati loci domo mortuariâ hæredem fundare se volet, petitionem hereditatis instituat coram magistratu loci; non aliquod interdictum possessorium in Concilio Prouinciali. & si quem contingat secus facere, declarent Concilia interdictis ea in re apud se locum non esse, totamque causam ad Magistratum remittant, saluâ prouocatione.

Hæredes alioquin ab intestato habent dominij continuationem: quin & per mores possessionis, & interdictorum beneficia. *le mort saisit le vif.* (de quo Tiraquellus tractatum dedit) iisque experiri possunt aduersus particulares detentores, atque etiam totius hæreditatis, vbi priuilegiaria huiusmodi Edicta id non vetant.

A sententia etiam possessoria ad supremum vsque tribunal Regium prouocatur, non tamen à momentanea, quam recredentiam vocant, eòque tantùm vtimur *lege vnica. C. si à moment. poss.*

Materia hæc nobilis est & perquam vasta, vt volumina Menochij testantur, eiusque *formula non satis est cognita,* inquit Imbert. *Inst. forens. l. 1. c. 16. pragmaticæ artis rudibus, quamuis Iuris peritis,* atq; in foro versatur frequentissima. eam ipse *eod. cap. & cap. 33. & seqq.* longo syrmate explicat. & ferè apud nos ita obtinet. sed nonnumquam noster vsus variat quædam, quæ in quaque prouincia ex Ordinationibus Conciliorum peti debent. vt Senatibus Prouincialibus ea hîc cognitio tota defertur.

De plus petitionibus.

PLus petentium pœna nec hîc, nec in Gallia obtinet, sed per vsum est abrogata, *l. vn. C. h. t.* pluris petitiones tamen vsus non probat: dum tamen actor centum petiit, &

tantùm

tantùm quinquaginta obtinet, si reus nec hæc obtulerit, condemnatur in omnes expensas. Rebuff. *in proœm. const. Reg.* quòd si autem quis plus debito per executionem petat v. g. ex instrumento, quod habet paratam executionem, aut sententiam, cuius summa exinde pro parte soluta est, non incidet quidem in pœnas plus petentium, sed expensas, & damna pro religione iudicantis. loco etiam plus petens pœnas non incurrit: resarcit tamen loci, in quo soluendum esset, vtilitatem, seu æstimationem cambij. Sed tamen neque apud nos audiretur qui Antuerpiæ peteret quod Lugduni soluendum esset: quamuis subductâ vtilitate loci, si reus velit loco condicto soluere, & pacta seruare. quamuis Bugnion. *leg. abrog. l. 3. Synt. 106.* secus sentiat.

De dilationibus.

IVre ciuili definita ferè sunt dilationũ spatia. *l. 1. C. de dilation.* Iure Canonico & moribus arbitraria. *c. quoad consult. de sent. & re iud. c. oblatæ. §. licet. de appell.* scilicet pro necessitate largienda. *l. 1. C. de dil.* vnde nascuntur Iudicum ex factorum circumstantiis arbitria: non tamen sunt ea spatia in ciuilibus iteranda, nisi ex graui causa. *l. 7. D. de fer.* quod tamen nec hodie in iudiciis frequentatur: nisi in quibusdam Curiis, vbi Statuta omnes terminos faciunt peremptorios.

Solutionum dilationes admodum frequentantur. cui rei non minimam causam præbet, quòd spatia damnatis, confessisque Iure concessa moribus non obtinent. Obtineri autem dilationum litteræ debent à Principe, vt & cessionis, ex stylo omnium Curiarum, non à Iudice, nisi supremo, qui Principem repræsentat.

Sed E. *20. Oct.* 1541. constitutũ fuit vt litteræ moratoriæ non darentur, nisi liqueret per attestationem idoneam de damnis & iacturis, quæ citra culpam obuenissent: tenereunturque impetrantes vocare ad Concilium Prouinciale omnes suos creditores,

ditores, præſtitâ cautione intra menſem, alioquin litteræ euaneſcerent : creditores cautionem poſſent controuertere: ſuper eâque de plano ius diceretur; dareturque menſis ad probandum cautionem eſſe idoneam; quòd ſi non præſtaretur, litteræ fierent inutiles: ſed & aduerſario menſis daretur, vt probaret cautionem non eſſe idoneam; alioquin pro idonea haberetur. in Gallia per mores aduerſus *l. vniuerſ. C. de precib. Imp.* cautio non datur. Bugnion. *leg. abrog. l. 3. Synt.* 106.

Porrò gratia litterarum moratoriarum currit à tempore conceſſionis, non præſentationis. Jud. Cur. Mechl. apud Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 70. dantur ex ſpeciali cauſa priuati debitoris, vel communis afflictionis Reip. vt vaſtato agro, vt Edictum anni 1587. vel boni publici. v. g. vt aggeribus reparandis operam dantes, à creditoribus non auocentur. Iud. *ibid.*

De ſolutionum induciis tractatum ſingularem dedit Kindtſchotius, & praxim & formam quâ debeant poſtulari: diſſeritque an fideiuſſio etiam non petita præſtari debeat, an aduerſus eius omiſſionem reſtitutio detur, an cautio fideiuſſoria an pignoratitia eſſe debeat, quis probare debeat fideiuſſorem ſoluendo eſſe, an Principis litteris remitti ea poſſit, contra quas ſententias induciæ locum non habeant, quando hypothecæ aliique caſus inducias impediant, an dilatio reo conceſſa proſit fideiuſſori, an obtentis induciis noua cautio ſit præſtanda, an prior extraiudicialis ſufficiat, an obtentæ ab vno correo proſint alteri; denique quanta dilatio concedi poſſit. Quæ omnia ſecundùm leges ex Edictis moribuſque noſtris determinat.

Alioque tractatu ſingulari de ſecuritate corporis, docet quomodo Princeps loco ceſſionis bonorum eam & ſaluum conductum concedere ſoleat, quomodo is differat à dilatione annali. an creditor ſecuritate non obſtante poſſit debitorem apprehendere, ſi litteras eſſe ſubreptitias probare offerat. an debitor in termino dilationis ex delicto ſeu aliàs iuſtè apprehenſus poſſit ab alio eo lapſo detineri. creditor damnatus in expenſas an poſſit opponere compenſationem debiti. Denique

que quid litteræ Status differant ab huiusmodi saluo conductu.

De feriis & festis.

MOre Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis mediâ parte finitur. *l.* 8. *D. de fer.* quam diem ciuilem vocat Plinius. Germani, Belgæ, aliique Romanum morem, antiquum etiam quod festorum celebrationem recipiunt: non *c.* 1. *&* 2. *x. eod.* à vespera in vesperam. in Iudiciis tamen dies incipit manè, & finitur vesperi. Nouel. 82. *c.* 3. *c. consuluit de offic deleg.* nisi pars in Iudicium nocturnum consenserit. Bartol ad *l.* 8. treugæ à Iure inductæ ab ortu solis. *c.* 1. *de treug. Gl. in c.* 2. *de fer.* Officia diuina à primis vesperis ad secundas. *c.* 1. *&* 2. *x. de fer.* verùm quamuis dies naturalis tantùm sit 24. horarum, tamen passim hîc fauores laxando indulgentias certo die concessas incipiunt à primis vesperis, nec finiunt in secundis, sed ad finem diei extendunt.

Quoniam verò numeratis per annum diebus aliquot horæ & momenta supercrescunt, eæ latenter tantum temporis spatium confecerant, vt paulatim solstitia & æquinoctia correctionem debitam Paschati, aliisque festis necessariam requirerent. vnde Pontifex Romanus kalendarium mutauit, ac decem dies currenti anno ademit. & Rex E. 10. *Ian.* 1583. per Belgium eam mutationem seruari iussit, facto saltu à 10. Februarij vsque in 21. ita tamen vt præscriptionibus, actionibus, dilationibus, solutionibus, reditibus, præstationibus annuis, quæ pro rata temporis debentur, ea detractio nihil officiat: ij autem qui obueniunt ob messes & fructus annuos, secundum numerum annorum continuentur, detractionis non habitâ ratione.

Etiam anteà E. 16 *Iun.* 1575. mandauerat Rex propter varios errores, incommoda, lites, dispendia nata ex diuersissimo computandi modo, annos Dominicos, vt imposterum per Belgicam

cam vniformiter omnes publicè priuatimq; à Calendis Ianuariis computent, sub pœna correctionis, & resarciendi damni, si quod alicui ex errore computus euenerit.

Igitur dies festi à medio noctis vsque in medium noctis sine seruili opere sunt celebrandi. Circa eos ex malis moribus natæ bonæ leges 7. *Octob.* 1531, 21. *Aug.* 1569. 20. *Sep.* 1607. & Edicta ad decreta Synodi Prouincialis Mechliniensis *vlt. Aug.* 1608. & Camerac. 1. *Iun.* 1587. *ar.* 5. 6. 7. statuunt vt diebus Dominicis & festiuis sub summo Sacro, aut concione parochiali, seu aliàs ante meridiem, aut post meridiem sub vesperis, nulli liceat obambulare in foro, locisve publicis, aut secus Ecclesiam; intrare tabernas, exceptis peregrinātibus; dare se lusibus; vel etiam exercitiis armorum ciuilium confraternitatum, tripudiis, piscationi, obambulare in Ecclesia, siue sub Officio diuino, seu aliàs sub pœna arbitraria: aurigæ & nautæ naues & currus suos onerare nullatenus ad iter inchoandum, sed neque cùm quò tendunt peruenerint exonerare, nisi necessitas omnino iusserit: agricolæ rus vexare, fructus metere; molitores, pistores, laniones, cereuisiæ coctores, aliique id genus homines, vitæ humanæ necessaria sua opificia exercere, nisi necessitas exegerit; iudicio quidem Magistratus, quatenus de puro facto necessitatis quæritur; Archipresbyteri ruralis, aut vbi is non est, Pastoris; quatenus de obligatione præcepti Decalogi seu Ecclesiæ agitur: quæ non habet alium interpretem, quàm Ecclesiasticum Magistratum. Et sic intelligendum E. *anni* 1607. vt & dispensatio super obligatione non alteri competere possit; sed tantùm super declaratione facti; & sic impropriâ locutione. In messe tamen ad seruandos fructus non morosè conuenit dispensari in rusticis operis. Sed & ferias messis mores ad tempora seminationis extendunt ex ratione *l.* 1. *C. de agric. & censit.* Costal. & Ias. ad *l.* 4. *D. de fer.*

Insuper si nundinæ annuæ aut hebdomadariç incidant in dies festos aut Dominicos, reiiciuntur ab Edicto in antecedentes aut subsequētes dies: similiq; ratione non licet subhastare bona

mobilia,

mobilia, aut immobilia, sed res venales publicare tantùm, & diē hastæ indicere. Et quò promptiùs rei violatorum festorum corrigantur, licet per præuentionem sæcularibus & Ecclesiasticis officiariis eos persequi, moderatè tamen: & si Iudex Ecclesiasticus pecuniariam mulctam infligat, in sententia (Trid. *sess.25.c.3.* in exactione) pia causa exprimatur, cui assignetur.

Vt necessitas in operis, ita in Iudiciis legi derogat. quare cùm periculum in mora est, licitum sit arrestum in die feriata. Christin. *vol. 2. d.158.* & debitori fugitiuo manus iniicitur, & suspectus sistitur, idem & Pecq. *de Iur. sistend. c.* 1. & suspectus de fuga ab ipso creditore detineri potest. *l. ait prætor. §. si debitorem. D. quæ in fraud. cred.* eoque magis à Iudice incompetenti, Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 2. d. 168.* & die aliàs inidoneâ. Solet tamen adiri superior Ecclesiasticus, ad eam sistendi facultatem impetrandam, vbi res moram patitur.

Non seruat autem vsus *l. quadraginta. C. de feriis.* vt iure non agatur in Quadragesima; & similes: siquidem exceptis feriis ordinariis attenditur illud Psalmistæ Psal. 105. *Beati qui faciunt iustitiam omni tempore.* Indictitiæ etiam vix vsuueniunt, sed Iudices ipsi ferias futuras plerumque indicunt.

De Iurisdictione omnium Iudicum, & foro competenti.

TRiuialis hodie partitio est iurisdictionum, seu Iustitiæ, vt loquuntur, altæ, mediæ, & infimæ. ad illam potestas gladij; ad mediam, quæ magis imperij quàm iurisdictionis esse videntur; cetera ad infimam referuntur. atque alibi infimæ auctoritas domino directo solùm adscribitur pro tuendis suis censibus, & notio quæstionum realium, seu quæcumque ad fundum spectant; reliqua quæ sunt infra potestatem gladij, mediæ tribuuntur; ille altæ. ergo gladij potestas hodie pars est ordinariæ iurisdictionis, eaque mandata transit, & per vicarios exercetur. Gudelin. *Iur. nouiss. lib. 4. c. 2.*

lib. 5. *c.* 13. Nicol. Burgund *tract. contr. ad consuet. Fland. tract.* 8. & 9. In Principe statuitur origo omnium iurisdictionum, omnes ex eo fluere dicuntur, vt omnium magistratuum creatio ad Principem hodie pertinet nisi aliis ab eo concessa sit. etiam olim Leo *Extrauag. const.* 47. abrogarat leges quibus Senatui pretores, decurionibus præfectos constituere licebat. Mores ferè nostros constituendi magistratus tetigimus in Iudice *l.* 1. *c.* 23. & 42. Iurisdictiones autem hodie sunt instar perpetuorum magistratuum: & in eas pridem degenerarunt Duces, Comites, Marchiones, aliarumque nominum dynastæ effecti.

Suprema Concilia Principum quasi relatione ad eos factâ sub nomine Principum pronuntiant: seu propter auctoritatem, seu quia ipsorum Principum sedes in eo consistorio est, vt videatur Princeps iudicium facere; tametsi tunc fortè abfuerit: Prouincialia seu inferiora Concilia sententiis titulum Præsidis, & Conciliariorum præmittunt; tametsi etiam Præses fortè, aut plures Consiliarij abfuerint.

Res grauiores hæc Concilia tractant, causas, casus Regios, & appellationes. Pro Concilio Flandriæ propositæ instructiones, 15. *Feb.* 1385. 17. *Aug.* 1409. 9. *May* 1522. 22. *Aug.* 1531. 16. *Iulij* 1533. 4. *Ian.* 1522. sed priores propriùs accedunt ad mandata Principum Romanorum, pro Præsidibus prouincias recturis, Codicillis inscribi solita. vnde & olim ad ea Concilia vocabantur Equites, Barones, &c. vt in *d.* 1. *instructione.* post primum quasi præsidem vocantur Equites: vt in Mechliniensi accidit. vt videre est apud Christin. *vol.* 1. *d.* 3. & in erectione Concilij Brabantiæ sub Maria Burgundica Maximiliano J. Imp. quâ non tantùm cognitio iudicialis, sed & regimen ditionis absentibus Principibus tribuebatur. Subsequentes Flandriæ Instructiones magis ad iudiciarium litium ordinem dirigendum spectant, eorumque quæ eò pertinent, quomodo, quibus de causis cognoscere, de quibus non poterunt, quo stipendio tum illi, tum actorum scribæ, tum amanuenses, tum de salariis singulorum, tum aduocatorum, procuratorum, ostiariorum

ariorum, nuntiorum, teſtium, &c. vt & in lęto introitu Brabantiæ Carolus V. Concilium ſpondet perpetuò futurum quod ius dicat, & iuſtitiam adminiſtret, neque vlterius ſe extendit.

Eiuſdem Concilij Flandriæ, & ſuppoſitorum priuilegia, & immunitates ex arbitrio Parlamenti Mechlinienſis, & compromiſſo vrbis Gandauenſis explicatæ ſunt. 16. *Feb. 1597.* eiuſdem Concilij & territorij Inſularum, Duaci, & Orchiaci iuriſdictionis exercendæ diſcreti termini, E. *11. Iulij 1619.* datæ Gubernatori ordinationes, E. *7. Decemb. 1540.* declaratumque quòd Edicta de homicidiis edita etiam in hoc territorio executioni mandanda ſint, E. 3. *Iun.* 1551. quodque gubernator & eius locum tenens in Concilio Flandriæ eas tantùm ſententias ſub periculo mulctæ ac expenſarum ſuſtinere teneatur, quarum executio fit non obſtante appellatione, E. *2. Octob. 1541.* explicata & auctoritas Cameræ legalis Flandriæ, quam vocant; Præſidis, Conſiliariorum, Bailliui, territorij, hominumque feudalium: E. *4. Septemb.* 1527. nec non E. 18. *Decemb. 1527.* vt abſentes à loco in quo Conuentus Cameræ erat, poſſint & debeant idoneum ſubmittere ad iuuandam adminiſtrationem iuſtitiæ: ſi autem ipſi compareant, poſſint accipere ſalarium, vt reliqui Conſiliarij.

Cameræ etiam Renengarum auctoritas, iuriſdictio, Jura, ſtylus, ordo iudiciarius: E. *11. Iun. 1471. 9. Martij* 1544.

Supremus Flandriæ Bailliuus, quem Soueranum vocant, E. 14. *Ian. 1543.* per totam Flandriam ſupremitatem Principis tuetur, in poteſtate gladij exercenda, in inquirendis & puniendis reis, cuius facultates eo diplomate narrantur. Et E. *17. Oct.* 1514. eius auctoritas ſancita, vt nemo ab eo prehenſos eximat, ab eiuſve locum tenentibus, vt eximentes Procurator Generalis rigidè perſequatur.

Et nihilominùs cautum E. *16. Decemb. 1514.* ne id obſit priuilegiis ciuitatum, & municipiorum, aliorumque locorum: ſed requiſitus Iudici ordinario loci reos conſignet, cum ſuis in-

formationibus, saluis expensis in apprehensionem factis.

Sed & nupero Edicto *8. August. 1617.* data noua instructio eidem Souerano Bailliuo. Eius officium Reip. perquàm vtile est, quippe qui quasi latrunculator Regius per Flandriam curam habet, vt malis hominibus prouincia purgetur: & præsertim supplet defectus officiariorum, qui in aliquos delinquentes per annum integrum neglexerunt inquirere.

Est etiam Iuridicus Gandauensis: quem Locumtenentem ciuilem vocant: de quo Edicta 14. *Febr. 1540.* 7. *Martij* 1543. 9. *Decemb.* 1544. 8. *Mart. 1551.* 15. *Feb.* 1556. Institutus is est à Carolo V. postquam omnia magnæ vrbis seditionis reæ priuilegia abrogasset: inter quæ vsurpauerant, vt ad suum tribunal vicinos in Ius vocarent. Surrogatus est ergo hic Iuridicus, vt intra certos ab vrbe lapides iurisdictionem exerceat; & coram eo Gandauenses diem suis debitoribus dicere possint. eidem leges præscribuntur, secundùm quas causas peragat, iurisdictionem exerceat. postquàm autem indulto Caroli V. 7. *Martij* 1543. ad plures pagos ea iurisdictio esset extensa; iterùm 4. *Maij* 1544. institutus Iuridicus Teneramundæ, etiam sub nomine Locumtenentis ciuilis; coram quo tam incolæ Gandauenses, quàm Teneramundenses suos debitores in ius vocare possent ex pluribus sitis circumquaque pagis.

In Brabantia, post supremum in ea Concilium, ciuitates quatuor metropoles, tum suorum in prima instantia litigantium causas cognoscunt, tum inferiorum territoriorum sententias prouocatæ emendant. quædam tamen territoria ac municipia rectá ad Cancellariam appellant. pagi, præter metropoliticos, ad aliorum etiam territoriorum quinque suos superiores Iuridicos prouocant. Drossardus Brabantiæ etiam officio quasi latrunculatoris fungitur, & armatus prouinciam obit, & de vagabundis aliisque reis pridem neglectis cognoscit. Ordinarios quisque locus suos Iudices habet: citra grauem causam alij non dantur. alibi alij atque alij sunt Iudices: cuique suus mos est.

Consti-

Constitutum in Flandria, E. 7. *Maij 1555.* vt nemo in Flandria aliquod officium obtinere possit, natus in aliqua prouinciarum, quæ Flandros ab officio excludat, exceptis Locumtenentibus Regis, & Gubernatoribus, & Equitibus Ordinis aurei Velleris.

Et alio E. *20. Sep. 1539.* ne quis conferat, disponat aliquod beneficium, aut officium quomodocumque: sed soli Principi, seu Locumtenenti generali reseruatum sit: secus factum nullum sit, & effectu careat.

Sed & E. *20. Sep. 1539.* ne liceat officia stipendiis carentia cum pacto pecuniario resignare, sub pœna amittendorum officiorum, pecuniarum receptarum, prouisionis inutilis, seu priuationis, & correctionis vtriusque arbitrariæ: sed si quis officium dimittere voluerit, libellum supplicem offerat priuato Concilio, vt ab eo idonei prouideantur.

Quin & ab omni specie & occasione mali Iudices abstinere oportet, adeoque vetat E. 12. *Iulij 1611. ar. 7. & 8.* ne qui iudicant partem nanciscantur in bonis quæ ærario addicuntur, aut mulctis pecuniariis. tametsi Auditores militares ab huius articuli praxi eximere se videantur. Eadem æquitas suadet, ne Iudex habeat quotam taxæ expensarum; sed iustas sportulas, pro ratione laboris. vt in bonis, quæ subhastantur, Judices officiariíve nihil ex pretio sibi paciscantur, taxent, recipiant. ne vectigalia & impositiones, vt loquimur hîc, conducant. E. 20. *Sept. 1577. ar.* 161. sicut tutor prohibetur rem pupilli emere, *l. 34. §. fin. D. de cont. empt.*

Quin & à sordibus abstineant, causisque conniuentiæ: atque ita E. 15. *Octob.* 1541. cautum, ne officiarij cereuisiam coquant hospitibus vendendam, néve ipsi hospitia, aut tabernas exerceant durante Officio, sub pœna priuationis, & correctionis arbitrariæ.

Actiones etiam litesque aliorum emere Iudices rigidè vetantur tabulis legum Brabantiæ, 1312.

Et verò quò magis intrepidè Judices, atque officiarij munere suo fungantur: E. 6. *April.* 1513. E. *1570. art. 49.* sub salvâ

uâ guardiâ, & protectione Principis esse declarantur omnes officiarij, & ad illius correctionem spectare eorum in officio errores, & excessus; præsertim carnificis, quem in executione criminalium sententiarum errantem nemo inuadere possit, sub pœna infractæ saluæ guardiæ, confiscationis corporis, & bonorum: & vt imposterum, si quid secus fiat, iustitiarij de facto obsistere tumultui possint.

Insuper quia notarij quadamtenus sunt Iudices voluntariæ iurisdictionis, & Iudices chartularij vocantur; E. *7. Oct. 1531.* decretum, vt notarij à Prouincialibus Conciliis per examen approbentur in scriptis; alij non exerceant tabellionis officium: sub mulctâ arbitrariâ, & inhabilitatis ad illud, aliaque. Similiter Trid. *sess. 22. c.* 10. ab Ordinario examinari, & inidoneos iubet suspendi ab exercitio: vtique *in negotiis,* inquit, *litibus & caussis Ecclesiasticis.* vt edictum illud vice-versa in secularibus est accipiendum. Atque hæc ita; quoniam *ex notariorum imperitia,* inquit Trid. *plurima damna & multarum occasio litium oritur.* formulis suis imperitè negotia accommodant, non negotiis formulas. quarum etiam quædam ab iis passim sine lege receptæ sunt. v. g. vbique omnes hanc clausulam frequentant, quòd sponsores *renuntiant iuri dictanti, quod generalis renuntiatio non operetur, nisi specialis præcedat.* cuius iuris tamen nulla lex facit mentionem, neque verum est. latiùs Bugnion. *leg. abrog. l. 2. sec. 52.* ideoque & constit. Nouel. *de tabell.* iubet, vt negotia, quibus præsident, per se præstent, non operâ discipulorum: quod nec satis seruant omnes.

Denique nullus Magistratus extra territorium contentiosam iurisdictionem exercet, quamuis voluntariam. *l. 2. D. de off. pro cons. c. nouit. x. de off. legat. c. post electionem. de concess. preb.* mores tamen alicubi receperunt, vt de assensu Magistratus loci etiam extra territorium in clausis vrbibus ius dicatur, cui parendum sit; quod ob vtilitatem publicam in bellicis tempestatum nostrarum periculis, quæ nonnullibi forenses profectiones vetuerunt, receptum est.

Sed

Sed neque qui iurisdictioni præest sibi suisque ius dicere potest. *l.10. D. de iurisdict. tot. tit. C. ne quis in sua causa*. de quo suprà. *c. postrem. de appellat*. quamquam in voluntariis secus sit, *l. 1. D. de officio prator*. & in arbitris electis, *l. quin etiam 6. D. de arbit*. & in Iudice, cuius non priuata persona, sed auctoritas læditur, *l.7. D. de iurisdict. tot. tit. D. si quis ius dic. l.2. in fin. D. de iurisdict*. & in supremo Principe, Menoch. *cons.403. n.12.13*. cum moderamine tamen *leg. vn. C. si quis in Imp. mal*. vnde plerisque locis boni Principes nec læsæ maiestatis crimen nisi per alios expediunt. non sanè aliter apud nos. Sed & si læsa iurisdictio videatur ab alio Iudice, neuter in alterum non subditum statuere quid debet, sed recurrere ad Principem, eiúsve Senatum superiorem. Margar. Regens. 20. *Decemb*. 1509. quod etiam seruari, si Ecclesiastico cum laico incidat controuersia, voluit E. 4. *Octob*. 1540.

Quod verò titulo *C. vt nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu Principis permittatur*. decretum est, hodie non seruat vsus. Latè Bugnion. *l. abrog. l.2. sect.95. l.1. stat.46. l.2. sect.40.183*. Belgæ externum non admittunt; Brabanti, & quidam alij nec extra solum suum natos.

Sed neque in vsu est titulus *C. de contractibus Iudicum*. hodie liberè Iudices contrahunt. Bugnion. *l.1. stat.7.8. l.2. sect.96*. sed si super læsione oritur quæstio, non exiguam iuris præsumptionem habent contra se: ideoque aduersarius sub leuiori probatione auditur. nullatenus tamen licet emere ab officio quod quis administrat, adeoque non ea bona Judici, quæ eius auctoritate subhastantur, *l. non licet. D. de contrah. emp*. id siquidem nimis vicinum est fraudi & concussioni.

Assessorum quoque officium olim publicum erat, & ex publico stipendium accipiebant. *D. de offic. assess*. quamquam Seuerus rectè diceret militares habere suas administrationes, habere & litteratos: vnumquemque hoc agere debere, quod nosset. Lamprid. *in Alex*. antiquum vitium id est; sed nullum hodie frequentius. veniunt nonnullibi à Marte hodie ad Mi-

ne ruæ negotia, qui vix illam à limine salutarunt; ad Martem abeunt, qui ætatem vsque ad senium absque parmula triuerunt.

Senatus Prouinciales atque supremi maximè sunt inuenti ad examinandas res iudicatas, prouocantibus ad Principem condemnatis: cui per publica negotia non sit integrum semper priuatorum querelas expendere. Vnde & accidit vt ordinariè in prima instantia de causis priuatorum iidem Senatus non possint cognoscere. Christin. *vol.* 1. *d.* 26. 27. *vol.* 2. *d.* 160. exceptiones tamen eius rei quamplures solent proponi, & ditiones quidem Belgicæ vario in his iure vtuntur. quidam tamen casus ferè communes sunt.

Inprimis plerique, quos Galli vocant casus Regios, quasi Regiæ cognitionis. inter quos præcellunt quæstiones super iuribus, immunitatibus, iurisdictionibus, domaniis, atque omni re dominica, & iure Principali supremitati competente, vel ad fiscum aut ærarium spectante, & quidquid aduersus ea iura admittitur: atque ita de crimine læsæ maiestatis, falsæ monetæ, collegiis illicitis, seditionibus, vi armatâ, commeatus conductusque Regij violatione. Chopin. *de Iurisd. Andeg. l.* 1. *c.* 78. Christin. *vol.* 2. *d.* 49. Quo nomine cùm omnis clerus, presbyteri, monachi, moniales, Lombardi, iam antiquitus sub salua guardia Principis fuerint, si offendantur, ad Principem cognitio pertinet, tabulis legum Brabantiæ 1312. quibus de rebus latè egimus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de for. comp.*

Consequenter de controuersiis inter vrbes aut territoria motis, de dissidiis ad rama vergentibus, inter nobiles, aliósve incolas, de officiariis Regiis, quoad eorum officia attinet, de consiliariis, aduocatis, aliisque practicis Concilio suppositis, qui coram eo semper conueniuntur, & clientes super salariis & expẽsis conueniunt. Equites etiã aurei Velleris apud supremum Senatum dumtaxat conueniuntur. Christin. *vol.* 2. *d.* 167.

Querelæ pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum ibidem recipiuntur, cognoscunturque, nisi quòd rationes

rationes coram Magiſtratu, qui tutorem dedit, excutiantur: neque ex actionibus ceſſis ad Principem trahere quem poſſint: neque niſi actor & reus eodem loco domicilium foueant, atque ad eumdem Iudicem ſpectent; aut ſumma quæ petitur ſit exigua. Ita Grot. *in Iſagoge Iur. Holl.* Chriſtin. *vol. 2.d.*161.*ad tit. C. quando Imper.*

Iterùm cauſæ ſuper piis fundationibus Regiis, quæ Iure minorum, priuilegioque gaudent.

Inſuper controuerſiæ poſſeſſoriæ, feudatariæ quamuis, & beneficiariæ.

Item ſuper chirographis, obligationibuſque officiariorum, nobilium, eorumque qui iuriſdictionem Concilij prorogauerint, eique ſe ſubmiſerint.

De exactionibus & concuſſionibus Officiariorum, iniuriiſque vice-verſa his irrogatis, aut clericis, aut aliis perſonis priuilegiatis; & eorum quicumque de oppreſſione potentiorum conqueruntur.

Super vſurpatione noui iuris, aut facti inſolentis, ſuper priuilegiis ſubdito, exteróve conceſſis, conſuetudinibus de corruptela accuſatis.

De omnibus criminibus per annum incorrectis, ad ſupplendam inferiorum negligentiam.

De cauſis ex *l. diffamari. C. de ingen. manumiſſ.* proponendis.

De cauſis quarum rei plures ſub diuerſis iuriſdictionibus commorantur: ad vitandam continentiæ cauſarum diuiſionem.

Rurſum ſi inferior Iudex iuſtitiæ expeditionem neget, aut nimium differat. Si inter inferiores Iudices, quis eorum ſit competens, controuerſia fuerit: qua ex cauſa lites ad Concilia euocari ſolent, tranſlatis eò cauſarum etiam inchoatarum actis. quæ tamen euocatio apud nos, præter hanc, ſimilémve cauſam rara, & vix permiſſa eſt.

Solent etiam nonnulla Concilia ad aliquorum querelas emittere litteras mandatorum, quibus aduerſario quid facere,

aut non facere iubeatur. sed quia plures sæpè questum decurrunt, non quia opprimuntur, sed vt opprimant; tædio, molestiâ, sumptibus aduersarium vexent; nonnullibi graui pœnâ falsus impetrator mulctabatur: sed quia gliscenti malo nec illud remedium sufficiebat, & iurisdictionum inferiorum auctoritas nimium truncabatur, aliaque incommoda nascebantur; cauterium legis priuilegiorúmve abrogatorium adhibitum est, aut alibi vsus, per rationem mandatis contrariam inualuit.

Ad mores nostros hos casus prosecutus est Merula *in sua praxi lib. 4. tit. 1.* in Germania Gail. *lib. 1. obs. 1. vsque ad 32.* in Hispania Couarru. *pract. quæst. c. 6. & 7.* in Gallia Jmbert. *inst. for. lib. 1. c. 23.*

Et quoniam appellationes omisso medio inhibentur, *l. 21. D. de appell.* quamuis per canones permittantur; neque ad Concilia Prouincialia ire permissum est omissis metropoliticis, aliísve Iudicibus, ad quos secundùm mores prouocari solet; neque ad supremum Senatum omisso Concilio Prouinciali, nisi secus hæc speciali vsu alicubi obtineant.

Sed & priuilegium habent reuocandi domum legati, deputatique prouinciarum ac ciuitatum, neque vllibi arrestari possunt. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 2. d.* 160.

Iurisdictionem fundant domicilium, contractus, delictum, vel quasi, reique situs: mores dominis feudorum & rerum emphyteuticarum etiam in vasallos & emphyteutas rerum causa, seu res ipsas potiùs iurisdictionem tribuerunt; & multis locis Arresta, quæ personis & rebus à quocumque Iudice iniiciuntur in illius territorio repertis.

Sed & tutela apud Iudicem, qui tutorem dedit, ad rationes dandas obligat: & officium, contractus, & delictum. Vnde commentariensium Concilij E. *pen. April.* 1547. & captiuorum E. 26. *Mart.* 1547. delicta ad cognitionem Concilij pertinent; controuersiæ autem ortæ ob annonam captiuorum, ad ordinarium.

Brabanti

Brabanti speciali priuilegio Car. IV. extra Brabantiam arrestari, aut quomodocumq; conueniri non possunt, ipsi, eorúmve bona sisti, solo casu denegatæ iustitiæ excepto. sed E. 4. *Ian. 1531.* declaratum est istiusmodi priuilegium, seu Bullam auream, vt vocant, non habere locum cis aut trans Scaldim in Flandria; neque obtinuisse contendit in Hollandia pridem ante Grotius *in Rep. Batava l. 5.* de Zelandiâ etiam & Mechliniâ iudicatum tradit Christin. *vol. 1. decis. 355. in fin.* ideò quòd negent tempore concessionis eiusdem Bullæ has partes fuisse Imperij; sed harum decisionum fides sit penes auctores. neque enim omninò Brabanti astipulantur.

Qui Ecclesiasticam personam in criminali vel ciuili causa trahit ad Iudicium sæculare à iure suo cadit, iudicatum non tenet, & Iudex iudicandi potestate priuatur. *Auth. statuimus. C. de Episc. & cler.* quæ constitutio quidem seruatur, sed non illius pœnæ. In realibus tamen mores non seruant: quod in feudalibus etiam canones permittunt. in personalibus Ecclesiasticæ personæ singulares coram sæcularibus in Ius non vocantur. Bugnion. *leg. abrog. l. 2. sect. 103. Contemptui* inquit, *habemus. Auth. statuimus. C. de Episc. & cler.* sed in Gallia. quædam in Brabantia sunt distinctiones per Concordata. alia alibi obtinent.

Ob diuersa incommoda decretum pridem est E. 20. *Maij* 1497. ne beneficiorum & diplomatum Romanorum causâ quis extra patriam trahatur, sed in possessorio cognoscat Principis Concilium, in petitorio ordinarij loci, in prima instantia; & in causa appellationis ante definitiuam quidem, obtineat appellans delegatum intra patriam. sed formula litterarum Placiti Regij super diplomatibus beneficiariis eodem Edicto impetrari iussi, hodie ferè indistinctè sonat, vt in causa appellationis delegatus impetretur in partibus: quamuis edictum id statuerit de appellationibus ante definitiuam interpositis dumtaxat: voluntate Regiâ, an scribarum festinâ breuitate id accidat, nondum satis comperi.

Sed & Iurisdictionum controuersiis cautum est E. 4. *Octob.*

 1540.

1540. vt Ecclesiastici Iudices non vtantur cēsuris, aut monitionibus censurarum comminatoriis, contra Regios officiarios, & Iudices sæculares, sed requisitoriis: quibus si obtemperare illi nolint, saltem supersedeant ad mensem vnum; & interim prouideatur, ne illi frustrentur suâ requisitione: alioquin officiarij arbitrariè puniantur. qua de re latiùs egimus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de for. comp. n. 26.*

Denique vetat idem E. *20. Maij 1497.* ne quis se obliget sub pœnis Cameræ; notarij, & publicæ personæ contractus cum ea clausula non recipiant, alioquin puniantur arbitrariè, tamquam transgressores edictorum Principalium.

Quæ huc spectant quamplurima diximus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de foro comp.* quò ne actum agamus, nos referimus, & nominatim quoad ea quæ spectant Concordata inita inter Carolum V. Imp. vti Ducem Brabantiæ & Comitem Namurci & Episcopum Leodiensem *an.* 1541. quæ confirmata dicuntur per Paulum III. & acceptata per Episcopum Cameracensem, quamuis non verbotenus, præsertim aduersus speciales concordias, & res pro se iudicatas, de quibus *d. t. n. 24. &c.*

Quod liceat cuique sine Iudice se vindicare.

NEmini licet iniuriam suam sine Judice vindicare: paucis casibus exceptis. *tit. C. quando liceat cuique sine Iud. vind.* qui casus tamen ipsi per mores non admittuntur; nisi concurrat necessaria sui suorumque defensio. v. g. desertorem militiæ iure licuit opprimere; non licet moribus: nisi fortè populantem & latrocinantem. quo modo principio belli nostri ciuilis plures sunt cæsi, neque inquisitum in percussores: quin & per sententiam inquisitos memini absolutos. Idem accidit resumpti mox post inducias belli tempore, multis Croatis, qui nullâ disciplinâ coërceri poterant, à paganis hîc illic oppressis. Sed neque ex *l. ait prætor. §. si debitor. D. Quæ in fraud. cred.* hodie debitorem priuato licet apprehendere,

prehendere, ſed adiri Iudex, & decernere debet, niſi fortè ex ipſo actu fugæ mox ad Judicem ducatur. Sed & deſiit mutua apprehenſio, quâ partium vtraque in carcerem detrudebatur: ne homines nullius pretij honore & opibus digniores infeſtent, atque horum famam, dum illis nulla reſidua eſt, deterant.

De dolo & contumacia.

QVoniam pauca adhuc occurrunt dicenda circa ea, quæ ad Iudicium peragendum pertinent, viſum eſt interrumpere ordinem Codicis, & hîc ſequi ordinem Decretalium, vt vno halitu ſtadium hoc litigiorum decurramus. Itaque ſuccedit de dolo & contumaciâ locus. vtrumque à Iudiciis abeſſe & leges & canones enixè deſiderant.

Poſt peremptorium edictum ſi non compareat reus, lis pro deſerta habetur. Cuiac. *l. 9. obſ. c. 22.* hodie ex *Nouel.* 112. *& Nouel. Leonis* 108. etiam lite nondum conteſtatâ cõtra abſentem, etiam poſt annum proceditur: etiam ad condemnationem. quod & in Gallia ſeruatur, ita vt actor tamen intentionem probet. Boer. *deciſ.* 63. *n.* 8. *&* 9. Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *ſ.* 24. 191. in Gallia duabus dilationibus contumax damnatur. quod & nonnulla Concilia in cauſis minoribus, & communicatoriè inſtructis obſeruant. & apud nos Merula *in prax. Holland.* Ex tabulis autem legum Brabant. an. 1312. qui primò ſecundò & tertiò citatus non comparet, pro reo habetur. Si de rebus capitalibus agitur, maioribus mulctis cogitur, aut reus habetur.

Nemo ob contumaciam & tergiuerſationem ſolam, aut dilationem temerariè petitas, aut exceptiones fugitiuè propoſitas, in cute punitur, quamuis in ære non habeat; tametſi ſecus innuat *c. finem litib. x. h. t.* neque frequentatur ex contumacia in poſſeſſionem miſſio ex primo aut ſecundo decreto, ſed in ter vocatos contumaces tam in actione reali, quàm perſonali ad definitiuam proceditur.

In Germania & Italia rei proſcribuntur abſentes, factâ occidẽdi fa-

di facultate; in Francia in eorum imago suspendio aut alio supplicio afficitur; hîc magis exilio, & bonorum publicatione.

Atque E. 7. *Mart.* 1536. E. 23. *Iunij* 1542. citatus ad agnoscendã scripturam, si non compareat, tamquam contumax secluditur à responsione, scriptura eius habetur pro agnita, & consignatio indicitur. idq́ue in Curiis etiam Ecclesiasticis receptum est.

De confessis.

SEntentia ex voluntate contrahentium, *l. si conuenerit. D. de sentent. & re.* & confessio in Iure facta, accedente iussu Iudicis, executionem habet; vt & alicubi contractus coram notariis initi: quasi iurisdictionem voluntariam hi exerceant. sicut enim confessus in Iure pro iudicato est, *l. vnic. C. de confess.* sic in Jure confessus censebitur in voluntariis coram notario contractum suum professus. & fortè *d. l. vn.* non tantùm respexit confessionem ex lite factam, sed & actus & contractus apud acta, apud Judicem factos; vt & alibi instrumenta guarantigiata, dotalia, transactiones, & diuisiones hæreditatum eamdem prærogatiuam obtinent. Bus. ad *l.* 4. *D. de fid. instrum.*

Qui inficiatur chirographum suum, si conuincatur, duplum iure pendit. *Auth. contra qui propriam. C. de non num. pec.* sed hodie negans in mulctam pro religione Iudicis condemnatur.

De Probationibus.

AD vitandos sumptus probationũ testimonialium, iussum est E. 12. *Iulij.* 1611. vt Magistratus quorumcumq; locorũ quotannis exemplũ desumãt ex registris parochialibus, in quibus notantur baptismata, matrimonia, sepulturæ, & in archiua sua referant: alterumq́ue ad superiorem territorij Iudicem transmittant: registrisq́ue & exemplis istis plena fides habeatur, cùm de ætate probandâ, coniugio, morte, promotione ad Ordines, prouisione beneficiaria, seu sæcularis officij collatione,

collatione, in integrúmve restitutione, similibúsve causis agetur.

In Gallia sublata est dispositio *Clementin. litteris. de probat.* per Concordata *tit. de sublat. Clem. litteris.* non apud nos; sed si quid in suspicionem vocetur, admitti contraria probatio potest.

Notoriâ probatione dicuntur non egere. negat id in Gallia obtinere Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll.* 108. sed vereor ne id hîc non obtineat. v. g. alleget quis turrim esse in sua vrbe, quis Iudex desuper indicet probationem? sed non omnia veniunt sub notorium, quæ vulgus vocat.

De testibus.

NVmerus testium est in arbitrio iudicantis *l.* 1. *§. fin. D. de testib.* sed iure Galliæ in singula capita, non vltra decem recipi possunt, quod & in Statutis Cur. Eccl. Prouincial. Mechlinien. *tit. de mod. proceden. ar.* 45. præscribitur: nisi probanda sit consuetudo, aut Iudex aliter decreuerit. si quando v. g. non determinatum factum, sed indicia illius & coniecturæ tantùm se offerunt, ex *c. cùm causam. §. volentis. x. h. t.*

Calumniæ damnati à testimonio repelluntur. *l. 13. §. lege Iulia. D. de testib.* quod ad accusatos, si crimen probetur, per Ius Canonicum porrigitur. *c. super eo.* 1. *de testib.* etiam post emendationem in criminalibus, non in ciuilibus. *c. testimon. eod.* si accusati in vinculis aut custodiâ publicâ erant, in testes non recipiebantur. *d. §. l. Iul.* sed nec publici iudicij reus inuitus *l. 20. D. eod.* volens autem quantùm fidei mereatur, Iudex, vt in laborantibus fama, arbitratur. *l. 21. §. 1. D. eod.* repellitur & criminosus fœnerator, præsertim summè improbus: *c. quamquam. c. pen. de vsur. in 6.* fœminas ad testimonium praxis admittit, tam in criminali, quàm ciuili causa; tam in foro Ecclesiastico, quàm ciuili: tametsi Ius ciuile & Canonicum nonnihil dissonet; sed Iudex æstimat quantum fidei tribuat.

Moribus Iudex testem non repellit, sed demum parte opponente

ponente. ipsius tamen arbitrio relictum manet, quantum fidei tribuat. *l. 3. §. 1. & 2. l. 21. §. 1. D. de testibus.*

In multis locis dicta testium non solent publicari; sed nomina tantùm. vt in personas solùm de qualitate & moribus quippiam obiici liceat, dicta religioni & prudentiæ Iudicis examinanda committantur. Sed E. *12. Iulij 1611. ar. 10.* decernitur, vt dicta testium vbicumque publicentur secundùm Iuris scripti normam. Interpretatio autem E. *28. Nouemb. 1611.* permittit, vt in criminalibus causis, vbi hactenus informationes aliæque probationes secretæ fuerunt, vsus inueteratus locorum seruetur. nisi forsan Ordines Prouinciæ aliud inposterum postulauerint. edictumque locum non habeat etiam in ciuilibus causis anteà conclusis, quamuis ab iis appelletur. Insuper iubetur; vt in vno eodemque volumine testium personæ reprobentur, & dicta confutentur, sub vna dilatione: & simili ritu saluentur: vt probationes non fiant eorum, quæ reprobando vel saluando allegata fuerint, nisi Iudex visis actis decreuerit, designatis factis tantùm causæ idoneis, & sine quibus eam non potuerit decidere.

Testes corporale iuramentum præstare iubentur. id est ad librum Euangeliorum, aut Imaginem Crucifixi: sed plerisque locis eleuatis prioribus tantùm digitis manus dexteræ duobus. hodie solent iurare Sacerdotes manu pectori apposita, *in verbo Sacerdotis*: qui Regi iuramento obstricti sunt; & in dignitate aut officio maiori aliquo constitituti, deponunt *sub obligatione iuramenti Regij præstiti*. Monachi *sub obligatione votorum*. Augustinus hanc formulam, *coram Deo; in anima mea*; exhibet. *c. si peccatum. 22. q. 1.* quod amplius esse ait, quàm *est, est; non, non*; quo vtuntur Memnonistæ: & vbi tollerantur, sub eâ formulâ à Iudicibus in testes recipiuntur: quòd ij omnia iuramenta pro illicitis habeant. Caluinistæ ac Lutherani per Deum iurant, non factâ mentione Sanctorum: quòd eorum secta hos non reuereatur; & quorumdam improbitas ea sit, vt dicant eâ mentione infici iuramenti formulam, nec dicendæ veritatis obligatoriam fieri.

De-

De fide instrumentorum.

INstrumentis priuatis tres olim testes ad probationem adhibebantur: hodie tabellio & duo testes assumuntur: vix plures. quamquam & id Cuiacio ad *Nouel. 73.* visum est sufficere, ex mente Iustiniani, vt tabellio vnius testis officium, & numerum facere videatur.

Sed E.4.*Octob.*1540.cautum vt Notarij protocollum habeant omnium contractuum, & actuum, ex tempore celebrationis digestum, in singulis subsignatum, accuratè custoditum, sub pœna priuationis, inhabilitatis, correctionis: nec quidquam gestum scribant per personas sibi ignotas, nisi testes viri probi, & ipsis noti sunt, qui affirment tales esse principales, quales se indigitant; illudque actis inscribatur, eorumdemque domicilium. quod & in Magistratibus seruari optandum esset, vt de ignotis personis acta non scriberentur. quamuis scriba fortè vnius nonnullam notitiam sibi esse asserat: quia Edictum testium notitiam personarum asserentium numerum exigit, & notitiæ testimonium annotari: & ex facto difficultates nonnumquam natæ id suadent.

Denique E.*12. Iulij 1611. ar.* 19. decretum, vt quisquis disponere voluerit de re excedente valorem aut quantitatem trecentorum florenorum, seu per vltimam voluntatem, donationem, contractum nuptialem, venditionem, seu quamcumque conuentionem; id faciat in scriptis siue sub chirographo, siue coram Notario & testibus, seu aliis publicis personis, secundùm dignitatem rei de qua agitur, qui super ea legitimum conficiat Instrumentum; quod solum recipiatur ad probationem rei gestæ; adeò vt Iudices aliam probationem per testes supra tenorem Instrumenti admittere non possint.

Atque *ar.21.* eiusdem E. *1611.* vt probationes tonsurarum clericalium, votorum regularium, Ordinumque Ecclesiasticorum & sententiarum per litteras fiant, non per testes: nisi fortè

tè regiſtra deperdita allegentur; quando teſtes recipi poterunt.

De Iureiurando.

MOribus Franciæ Iuramentum in litem ſublatum ſcribitur, ſed nec hîc vſurpari admodum vidi; ſed Iudices non ex actoris voto, ſed bono & æquo id quod intereſt definire.

De exceptionibus.

EXceptiò non numeratæ pecuniæ, quatenus priuilegiata eſt, & onus probandi in chirographarium creditorem transfert, hodie non obtinet; niſi fortè intra paucos dies à ſcripto chirographo; ſi deluſus debitor numerationem profeſſus mox ad Iudicem recurrerit: quatenus autem priuilegiata non eſt, ſed inſtar reliquarum exceptionum, perpetuò datur. ideò rectè nonnullibi inueſtituræ litteræ intra triduum non expediuntur, vt ſi ſolutionem profeſſus venditor ſpe fruſtretur, mox præiudicium auertere poſſit.

Similiter ceſſat titulus *De dote cauta non numerata.* quia ſtatur inſtrumento profitenti numerationem; ſi non doceatur contrarium. ita tamen vt reſpectu tertij creditoris, cui vxor vult priuilegio dotis in pignore præferri, non ſtetur profeſſioni mariti, ſed numerationem vxor debeat probare.

Sed & aduerſus excommunicatos excipi ſolet, ne in Iudicio, vt actores, audiantur. *c. fin. de except. c.* 1. *eod. in* 6. *Clem.* 1. *eod. Sacrificiis interdicti*, inquit Cæſar *lib.* 6. *de bel. Gal. in numero impiorum ſceleratorumque habebantur, iis omnes de via decedebant, eorum aditum ſermonemque diffugiebant, ne quid incommodi contagione acciperent.* negant in Gallia, ac alibi in ſæcularibus tribunalibus eam exceptionem, pietate maiorum firmatam, hodie eſſe in vſu. ſic non in vulgo tantùm, ſed & in Iudicio, flacceſſit diſciplina Eccleſiæ.

Sed

Sed & excommunicatus per annum insordeſcens eſt infamis. *Auth. credentes. C. de hæret.* cui patere non poſſunt portæ dignitatum, officiáve conferri. ſuſpectus etiam eſt de hæreſi; & contra eum, vt talem procedi iubet Trid. *ſeſſ. 25. c. 3.* &, vt vult Menoch. ſtatim hæreticorum pœnis ſubiectus eſt, quæ ipſo Jure operantur *D. de arbit. l. 2. c. 5. c. 416. n.* 59. adeoque poteſt poſt annum citari, vt declaretur excidiſſe officiis, beneficiis, &c.

De Præſcriptionibus.

MObilium vſucapio ex *l. vſucap. D. de vſuc. & ſimilib.* ferè vbique hodie deſiit, & cum rebus ſoli eodem tempore præſcribuntur, quod annis ferè paſſim triginta abſoluitur. Vt & actiones perſonales annis durant triginta. ſed politicæ quietis causâ E. 4. *Octob. 1540.* decretum, vt omnia ſalaria Aduocatorum, procuratorum, ſecretariorum, medicorum, chirurgorum, apothecariorum, clericorum, notariorum, mercedes famulorum, operariorum, pretia mercium ad conſumptionem venditarum, ſi impoſita iure exigantur intra biennium operæ præſtitæ, mercíſve traditæ, nec poſteà iure exigi poſſint, niſi chirographum ſcriptum ſit; ac tunc quidem contra principalem debitorem, alioquin poſt mortem intra biennium contra hæredem, poſtquam mors creditori innotuerit: poſt lapſa hæc tempora, nomina ea habeantur pro ſolutis, nec detur actio. *Ord. Conc. Brab. ar. 27. conſonat.* Attamen E. 14 *Feb. 1549.* data interpretatio Edicti anterioris, quòd non comprehendantur pragmatici, Aduocati, procuratores, qui vltra biennium officia continuant; ſed præſcriptio incipiat à lata ſententia definitiua in principali & dependentibus terminata.

Præſcriptio plerorumque locorum conſuetudinibus vniformis eſt, vt diximus, triginta annorum: apud Batauos extrauagans tertiæ partis centum annorum. Grot. *in Iſagoge Iur. Holland. l. 2. p. 7.*

Negant in Gallia Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll.* 122. & hîc multi practici, *legem, benè à Zenone. C. de quadrien. præscript.* seruari, vt qui causam à fisco habet, non statim sit securus, sed domino competat rei vindicatio, ad annos triginta. vt in hac etiam causa currat tantùm vniformis præscriptio. Quoad Fiscum tamen obtinet tit. *C. Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis exceptione submoueatur.*

Sed neque belli tempora fundis hostiliter occupatis ad præscriptionem valent. Cuiac. *in parat. C. de præscript. 30. vel. 40. ann.* vbi docet, Afris & Hispanis aduersus Wandalos, Romanis aduersus Gothos lege subuentum fuisse. & in Iudiciis Belgicis *1609. ar.* 27. disertè ita cautum fuit.

De sententia, & re iud.

SEntentia in scriptum referri, *l. 1. C. de sent. ex breuic. recit.* & Iudicis manu signari iubetur à Leone *Const.* 45. & ex breuiculo recitari, *C. de sent. ex breuic. recit.* nisi Iudices sint illustres aut res viles, *l. 2. C. eod. tit.* aut Episcopi inter suos pronuntient, *Auth. nisi. eod.* Per scribas notariosque ferè hodie hæc fiunt: nisi quòd adhùc in Curiis Ecclesiasticis Officiales ipsi pronuntient.

Sententia fertur de iure in procuratorem, qui litem contestatus est. *l.* 23. *C. de procurat.* adeò vt in dominum lata nullitatis arguatur. *l. 1. C. de sentent. interloc. omnium Iud.* id tamen secus se habet moribus nostris, & Cameræ Imp. Gail. *lib. 2. obser. 100. num.* 3. *&c.*

Frequens est hodie sententiæ formula, quæ iubet pecuniam, quæ primâ fronte ex chirographo alióve liquido instrumento apparet deberi, sub cautione solui vel consignari. Consignatio in æde sacra olim, *l. acceptam. C. de vsur.* aut apud virum locupletem & bonum fiebat: hodie plerisque locis apud Iudicum scribas, apud quos si casu pereant, deponenti pereunt, tamquam domino; *l. licet. §. rei, D. de depos.* ad quem fortuita spectant.

Con-

Consignatio ex schedula per reum signata indicitur, si chirographum à se scriptum fateatur, E. 7. *Martij* 1536. quod idem fieri iubet si per calumniam negasse conuincatur, reseruatis in causam principalem defensionibus.

Sed neque Iudices hodie sententiis causas inserunt, vt olim sæpiùs solebant. *l. quod ait. D. de his qui not. infam. debet addere,* inquit, *cur miles mittatur.* nisi id speciale sit, ob militiæ disciplinam. sed veriùs neque hîc additur causa, cur ignominiâ afficiendus fuerit miles, seu quo demerito; sed tantùm vult lex missionem ita fieri, vt constet an ob culpam aliquis mittatur, an ob meritum, an excusationem.

Neque citatio hodie necessariò fit ad audiendam sententiam, vt olim: alias res non videbatur iudicata, *l. quæsitum 60. D. de re iud.*

De executione rei iudicatæ.

EXecutio hodie ad quadrimestre aut aliud certum iuris spatium non differtur, nec ordo mobilium, immobilium, & nominum seruatur; sed quod promptissimum est mox à sententia (id est, plerisque locis intra dies decem à monitione, seu summatione, vt vocant) executioni subiicitur.

Instrumenta etiam agricolarum, vt nec pignori dari, ita neque executioni subiici poterant, quò minùs colendæ telluri, & sationi, & annonæ incommodaretur. id hodie minùs seruatur: sed tamen iis parcitur, dum alia bona reperiri possunt. quod & in aduocatis, scholaribus, & Ecclesiasticis obtinet. Bugnion. *leg. abrog. sat. 242. l. 2. sec. 58.* & alicubi in omnibus artificibus, quoad artis instrumẽta, in militibus etiam quoad arma, *inf. de re milit.* & stipendia, ne executionem patiantur supra quàm facere possunt. *l. miles 6. D. de re iud. l. item si miles 18. eod.* nisi sint in dolo. *l. qui cum se. eod.*

Sed & deficientibus bonis debitor in carcerem hodie detruditur,

truditur, vt vel sic soluere cogatur. contra *l. minimè. C. de appel. l. ob æs. De act & obl.* imò & creditor debito excidebat, tantumdem reddebat, & in cute luebat, *Auth. imò à debito. C. de act. & obl.* sed & fœminæ contra *Auth. hodie. C. de custod. reor.* in carcerem mittuntur: sed rariùs ob debita pecuniaria, nisi fortè pœnalia, aut fiscalia.

Solent etiam, cùm defuncti creditores postulant, illius bona separari à bonis hæredis, quò illis non obsit concursus creditorum hæredis: sed infra quinquennium à morte defuncti. *l. 1. §. præterea. §. post multum. D. de separ. bon.* ita & praxim esse in Gallia ait Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll.* 113. alioquin *d. §. post multum.* computat quinquennium ab adita hæreditate, sed moribus defunctus statim inuestit hæredem; ideoque nunc quinquennium computatur à morte illius.

Quoniam verò dum vnus creditor debitorem pulsat, plures ad rem diuidendam concurrere solent, inter creditorum personalium priuilegia à moribus refertur causa mercedum, famulorum, & artificum, rerum in victum & medicinam traditarum, medicorum honoraria, & similia; sed ante omnes sumptus in funus moderatè pro qualitate defuncti facti. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 1. d. 194. n. 3.*

Ciuitas autem non habet hypothecam tacitam præterquam ex consuetudine, aut priuilegio. quod videntur habere ciuitates, quas dicimus Jmperiales, quæ merum & mixtum imperium habent, Gail. *l. 2. c. 130.* ciuitas Antuerpiensis etiam intra creditores pone fiscum habet ius prælationis.

Fiscus autem quoad debita, non pœnas fiscales, creditoribus præfertur. *l. non puto. D. de iur fisc.* vt pluries iudicatum fuit: numquam enim desunt, qui fisci priuilegia dilatare cupiunt; ideoque eamdem crambem recoquunt.

Ceterorum creditorum ordinem optimè disponit Gudelin. *Iur. nouiss. l. 4. c. vlt.* & nos nonnullos in ordinem redegimus in *Indice l. 2. c. 10.*

Porrò edicti 17. *Iunij* 1456. est abolita consuetudo, ne quis

creditor

creditor teneatur bona debitoris in ſolutum accipere,pro pretio quod æſtimatores dixerint: ſed Iudex bona haſtæ ſubiiciat, admiſſo etiam creditore; & licitatori plus offerenti addicat, pretium inter creditores diſtribuat.

Eſt & illud hîc animaduertendum, quamuis Jure Canonico Iudex delegatus ſententiam ſuam poſſit exequi. *c. cùm ab Eccleſiarum. de off. ord.* non tamen Iudex delegatus Iure ciuili, *l.* 15. *D. de re iud.*

Vectigalium publicorum debitorumque Fiſcalium fauorabilis cauſa eſt: ideoque mandatum E. *10. Maij 1515.* vt debitores fiſcales à loci officiario ad ſolutionem cogantur, intra octo dies poſt requiſitionem; alioquin id facere poſſit oſtiarius Regius ſumptu dicti officiarij.

Sed quoniam & id inuidioſum, neque cuilibet lubet aleæ iſti ſe ſubiicere, E. 14. *Mart.* 1605. permiſſum, vt executio fiat viâ Regiâ per oſtiarios Concilij Mechlinienſis, aut prouincialis eorum quæ debentur, ex cauſa impoſitionum, ſeu vectigalium,in neceſſitates belli indictorum,ſub ſalariis taxæ Concilij, factâ facultate Magiſtratibus locorum, vt de exceſſibus cognoſcant; locorum tamen officiariis etiam liceat exequi huiuſmodi debita, ſub conſueto tamen ſuo ſalario.

Præter amplas longaſque inſtructiones Executoribus propoſitas,vbique vitandæ nullitatis, ſeruandæque æquitatis cauſâ,præſcriptus eſt, E. *26. Aug.* 1545. *9. Ian.* 1548. *13. Ian.* 1552. modus quem oſtiarij Flandriæ ſeruare teneantur in ſubhaſtatione bonorum immobilium, ex ſententiis voluntariis, aut in inuitos latis : taxa expenſarum, cum nummo quinto Principali.

Solutione executori factâ, rebuſque per eum diſtractis, recepto pretio liberatur eatenus reus. Chriſtin. *vol.2.deciſ.255.*

In executione etiam hodie ab Eccleſia facienda decreuit Conc. Trid. *ſeſſ.25.c.3.* non vtendum excommunicatione cùm captio pignorum, & diſtrictio perſonarum commodè fieri poteſt.

De fructibus & litium expensis.

EXpensarum condemnatio pœna fuit temerè litigantium. vnde si quis iustam causam habere videbatur litigandi, à pœna excusabatur: præsertim reus, qui possessionem ac ius suum non tenetur deserere indiscussum: sed cùm illud nimis molliter seruari cœpit, adeò vt illam vitaret si quis aduocati alicuius censurâ dumtaxat iustam causam habuisset, E. 12. *Iulij an. 1611. ar. 9.* cautum est, vt compensatio expensarum non fiat nisi graui admodum de causa: ne quidem inter consanguineos. & iam pridem ad vitandas calumnias & tergiuersationes est omninò edictum desuper editum *vlt. Aug.* 1586. quod reorum, patronorum, procuratorum, sollicitatorum calumniam, temeritatem, dolosam tergiuersationem, ac leuitatem mulctis coercet; quin etiam suspensione, si culpa grauior fuerit.

Sed & E. 16. *Octob.* 1599. disertè cautum est, vt delinquentes condemnentur in expensas litium: quod obtineat etiam quando aliquibus locis bonorum est confiscatio, sed non generalis.

In causis criminalibus taxam spiculatoris E. 7. *Octob.* 1547. proponit. de aliis expensis Instruct. Concil. Fland. 22. *August.* 1531. *ar.* 5. 6. Instruct. *16. Iulij 1533. ar. 3. 4.* vt dum bonorum confiscatio per sententiam Concilij irrogatur, vasalli domini territoriorum, quibus aliqua bona cedunt, ad expensas pro illorum rata teneantur. vt cùm de criminibus post annum in Concilio agi cœpit, & ad Magistratuum requisitionem rei ex causa remittuntur, iidem expensas soluant qui officio defuerint, seu rei.

Olim Iudex circumspectâ litigantis qualitate expensarum summam taxabat, delato victori iuramento, vt infra eam quantitatem iuraret, quantum expendisset, & in tantum omninò victum condemnabat. hodie victor libello specificè comprehendit

hendit expensas, victus eas arguendo diminuit; tum porrò Iudex taxat. & solet ferè vnumquodque forum præscriptam omnium taxam habere.

Fiscus & pauperes ex vsu gratis litigant. de illo ait Cuiac. *tit. de sportul.* extitisse Constitutionem Græcam: de his est Nouella *de mandat. Princip.* de iis qui cum illis litigant, *lex vlt. h. t.*

In causis appellationum appellantem victum restituisse sumptus olim in quadruplum satis constat ex Iulio Paulo *Recep. senten. l. 5* [illegible] *37.* sed *l. 4. C. h. t.* causam protrahens in longinqua examina pro æstimatione tantùm Iudicis condemnationem sustinet. sed liberaliter potest Iudex ob veteris Iuris æquitatem æstimare. In eam sumptuum supputationem veniunt viatica. *L. eum quem. D. de Iud.* sed necessaria. vt ferè in longas causas tria solent æstimari. Appellatus si vincatur, vix olim solet in expensas damnari causæ appellationis. Cynus *in l. generaliter. C. de reb. cred.* quasi non temerè litigarit, sed iusta ex causa, qui Iudicis pro se sententiam habuerit: pro qua præsumitur, quæ pro veritate habetur: sed *lex properandum. §. sin autem. C. de Iud.* instantias non distinguit, quibus victûs victori condemnetur in expensas: & per appellationem omnia reducuntur ad statum litis contestatæ, quo obiecta non militant. & E. *12. Iulij 1611. ar. 9.* indistinctè victori expensas adiudicari vult, nisi extra communem ordinem iusta causa secus suadeat; non ergo generalis, atque ordinaria appellationis sufficiet.

De fructibus autem in quorum restitutionem reus damnatus est, cauit E. 12. *Iulij* 1611. *ar.* 23. vt illorum liquidatio non fiat ad valorem quanti plurimi, sed eum, qui quotannis plerumque fuerit registris inscriptus locorum, vbi publicæ sunt nundinæ. quæ registra Magistratus habere teneantur.

Ad eumdem modum eodem edicto *ar. 22.* prospectum, vt vbi de rerum litigiosarum valore quæritur, & testium probatione opus est, Iudex cogat conuenire partes in certum numerum personarum in arte peritarum: & si conuenire nequiuerint, Iudex ipse aliquos denominet, qui rem æstiment, iuxta

tempus, quo quæstio pertinet, neque permittat vlteriorem partibus inquisitionem.

De appellationibus.

APpellatio beneficium Juris est læsis datum aduersus iniquitatem Iudicum, seu ignorantiam *l. 1. D. h. t.* & cùm, qui iure suo vtitur, dicatur nemini facere iniuriam, non iniuriatur Iudici, qui ab eo prouocat. *l. & in maio*[illegible]*od.* à conuicio tamen abstinere debet. *l. illud. D. eod.* vt & Judex ab iniuria carcerum, aliaque. *l. non rectè. C. Theod. h. t.* & in causa nihil innouare. *tit. appel. pend. nihil innou.* vicissim non ideò potest Iudicem declinare, quòd in alia causa quis ab eo prouocauerit. *c. proposuit. c. ad hac. x. de appell.* quamquam suspectus fieri is possit, & recusari; maximè accedentibus aliis circumstantiis. *d. c. proposuit.* vnde in Gallia praxis eum, qui in vna causa appellat, in aliis eximit: nisi de Regiis Iudicibus agitur. Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll. 31.*

Post appellationem dicitur res ad statum litis contestatæ reducta, ideoque condemnatum post appellationem posse beneficium resignare. *c. dudum 2. de elect. c. per tuas. de simon. c. ex litteris. c. fin. de excess. Prelat.* sed videtur id in fraudem fieri, ideoque nulliter, ex ratione *c. 2. de renunt. in 6.* vbi si quid de proximo imminet, ad idque vitandum fiat permutatio, irrita censetur, quo facit & *c. vn. de perm. in 6.* quod permutationem in fraudem factam irritat, & *l. post contractum. D. de donat.* priorem tamen sententiam pro indubitata practicari in Curia Romana ex *M. Auth. Genuen. & Piascetio* tradidi *in Iur. Pont. nou. anal. de pæn. num. 3.*

In appellationibus apostoli in foro sæculari peti non solent, nec fatales dies seruari, seu præscripta Iure tempora ad introducendam, prosequendam, & finiendam appellationem; sed quæ singularum curiarum ordinationes proponunt. paupertas non appellantem intra fatales dies excusat. *l. Si. 8. vers. Si. hi. D. mand.*

D. mand. quod Automnus ad eam l. firmatum SC. Burdegal. 1585. tradit.

Sed & Edictum 2. *Maij* 1500. statuit vt appellantes teneantur statim per instrumentum formam suæ appellationis Iudicibus, à quibus appellant, insinuare; alioquin Iudices earum rationem habere non teneantur: si renuntiauerint, eamdem insinuationem faciant; alioquin effectu careat appellatio, pro nulla, deserta, non releuata habeatur: & E. 9. *Nou.* 1522. vt querela appellationis, seu quæuis alia proponatur intra annum à lata sententia, exceptis minorennibus, aut absentibus, aut aliâ notoriâ causâ, & bene fundatâ ratione in contrarium: de qua superiores Iudices priùs cognoscere, & pronuntiare, quàm causæ se immiscere debeant: nec iniungere possint rèsponsionem ad omnes fines adolitâ consuetudine in contrarium.

Sed neque permittuntur Flandri E. 7. *Oct.* 1523. omisso medio appellare ad Parlamentum Mechliniense: minùs in prima instantia eò causam deducere. Christin. *vol. 1. decis.* 26. 27. *l.* 21. *D. de appel.*

Nec licet appellare à sententiis per diffinitiuam reparabilibus. E. 15. *Febr.* 1548. quod & vetat, ne appellationes recipiantur, sed in causis personalibus teneantur victi consignare summam in quam sunt condemnati, & creditor eam recipere possit, sub fideli cautione, de eadem restituenda, vnà cum expensis Iudicis, ac partis, si ita postmodum iudicetur; & in realibus victor si ita mox in possessionem mittatur, sub simili cautione, de re cum fructibus & expensis restituenda.

Mandat etiam E. *vlt. Iun.* 1495. vt lites à quatuor Membris Flandriæ decisæ ex iisdem actis definiantur, an benè vel malè iudicatæ sint: sic tamen, vt acta transferantur debitè clausa, sigillata, & præsentibus procuratoribus partium recognita: & Iudices sententiam suam sic latam defendant.

In criminalibus Iure prouocare licet: & in Gallia nihil frequentius: sed apud Belgas plerosque non licet. quare & E. 16. *Nouemb.* 1517. lata in Concilio Flandriæ sententia criminalis

ſuprema eſt, neque ab ea datur appellatio. quin etiam E. 28. *Septemp.* 1528. mulctæ per Concilium Flandriæ indictæ executioni mandantur, non obſtante appellatione, & ſine illius præiudicio : & quæſtor Regius qui eas receperit, ſi Iudicium emendetur, mox reſtituit.

Quare & E. 24. *Ian.* 1502. *Ordinat. Concil. Brabant. ar.* 607. appellationes non recipiuntur ab apprehenſionibus, & arreſtis; ſed appellantes corriguntur : ſcilicet quia neque à ſententia capitis hîc appellatur. Sed vbi in criminalibus appellationi locus eſt à definitiua, etiam concedendus eſt à decreto carceris, vel apprehenſionis, apprehenſione ipsâ, vel incarceratione: quia per definitiuam reparari non poſſunt. Idque non tantùm Iure ciuili conceditur, ſed & poſt Trid. à Cardinalibus Interpretibus Concilij, quod & Clemens VIII. diſertè ſtatuit, *Decreto 1600. incip. ad tollendas. ar.* 10.

In beneficialibus E. 20. *Maij* 1497. in petitorio Ordinarius loci aditur in prima inſtantia, & in cauſa appellationis ante definitiuam delegatus, qui cognoſcat, intra patriam impetrandus eſt.

Clerici etiam ſub graui mulcta 50. lib. vetantur ante definitiuam temerè appellare *l.* 2. *C. de Epiſcop. aud. l. ſi clericus.* ſed canones permiſerũt: neq; mores certã ſummam, ſed arbitrariam temerè appellãtibus infligunt. Sed pleraq; Concilia fatuæ appellationis certam ſummam habent præſcriptam: quam pro re nata tamen & demeritis augent, & minuunt & remittunt : illud quidem rariùs, hoc indies. Sed & rurſum Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. ante definitiuam aut definitiuæ vim habentem vetuit appellari.

Sed neque ſolet per mores plerorumque hîc locorum admitti appellatio in his, quæ ad politiam ſpectant. quod & in Curia Mechl. Ordinationibus comprehenſum eſt, apud Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 66. rebus iudicatis firmatum.

Confeſſus etiam & contumax non appellat. quin reiectus fuit Iudicio Curiæ apud Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 89.

In aliquibus locis, vt & in Gallia, Bugnion. *leg. abrog. l.* 1.

ſat.

*sat.*208.solet Iudex,qui pronuntiauit, tamquam qui litem suam fecerit, ad superiorem citari : quod alicubi adhuc obtinet, non vbique: sumptus tamen sustinet litigator, nisi ipse Judex ex dolo aut sordibus condemnetur.

Ob expensarum omissionem non licet appellare. *l. fin. C. quando prouoc. non est nec.* aliud autem videtur praxis recipere. Appellans non allegata allegare, non probata probare iure potest. *l. per hanc. C. de tempor. app.* hodie plerisque locis, cùm in scriptum lis redacta est, ex eo scripto deciditur, benè vel malè iudicatum sit; nisi appellans litteras Regias impetret, quibus nouarum allegationum probationumque facultas ei fiat. vt de Flandriæ quatuor Membris mox diximus ex E. *vlt. Iun.* 1495. Et cùm ex nouis factis mutatur sententia, prior Judex mulctari numquam potest.

Appellationi licet renuntiare. *l. 48. C. de appell.* ex ratione generali *legis, si quis in conscribendo. C. de pact.* si nondum Superiori est præsentata, *c. quamuis. de elect. in* 6. sed apud nos, & Gallos, Bugnion. *leg. abrog. l.* 6. *coll.* 75. donec decisa sit appellatio. Vt tamen pœna temerè appellantium in supremis subselliis enitetur; solet venia Regia impetrari : vt de transactione diximus *suprà eo tit.* vt proniùs videatur dicendum *d. c. quamuis.* specialem considerationem habere in negotio sacrarum electionum, & prauitatis circa eas occurrentis, quam numquam dissimulari religio & fauor publicus, cui pactis priuatorum nequit præiudicari, exigit. & aliàs manendum in regula *d. l. 48. C. de appell.*

Alterius appellatio alteri prodest. *C. quando vnus ex plur.* negat id Bugnion. *leg. abrog. l. 2. sect. 131.* in Gallia obtinere, eumque qui non appellauit, nec expensas quidem recuperare. Ego hic à Jure non ausim discedere, cui disertæ consuetudines, siue notorius vsus non obstet. vt nimiùm sæpè exilit Bugnionus.

Ne liceat ter in eadem causa prouocare per leges decretum est : sed vsus ex multitudine tribunalium subalternorum tolerat,

rat, vt ſemper vſque ad ſumma Concilia Regia peruenire liceat: quæ finem litibus imponant: nec ad hæc tamen licet, omiſſis mediis: vnde vltra tertios aliquando veniendum eſt Iudices.

Vbi Epiſcopi, ſeu alij Prælati temporalem exercent iuriſdictionem, iubet *c. Romana. §. debet. de appell. in 6.* (cuius autographi exemplum videre licuit ex archiuis Atrebat. cuius Epiſcopus olim Remenſis Eccleſiæ fuit ſuffraganeus) ad Archiepiſcopum appellari, niſi conſuetudo aut priuilegium ſecus obtineat, vt ſcriptores obtinere dicunt ferè paſſim. Huius §. *debet.* diſpoſitionem pro Eccleſia Leodienſi ſingulari libro, quem inſcripſit *Vindicias libertatis Eccleſiaſticæ*, defendit Ioan. Chokier: vt recipiendæ non ſint in Camera Spirenſi appellationes ab ea interiectæ, ſed tantùm apud Archiep. Colonienſ. introducendæ. Apud nos extra controuerſiam ad Iudices laicos referuntur appellationes, quæ ab Epiſcopis interponuntur, in iis cauſis, quas per ſe ſuóſve cognouerunt, ratione iuriſdictionum, ob pagorum territoriorumque eis competentium dominia, quaſi illæ glebæ ſint aſſcriptæ, aſtrictæque, & Superioribus territoriorum dominis ſubiectæ; quas verò cognouerunt vt Epiſcopi, ſine dominio temporali, v. g. vbi & quando in Brabantia Epiſcopi cognoſcunt ex Concordatis ſeu vſu immemoriali inter laicos etiam vtrimque litigantes de teſtamentorum contractuumque antenuptialium valore, bonis amortizatis, aliiſque cauſis temporalibus pluribus, à ſententiis huiuſmodi officij Epiſcopalis ſolâ auctoritate latis appellatur ad Archiepiſcopum, ſeu Sedem Apoſtolicam. Sæcularia hæc vocantur Iudicia à D. Paulo 1. *Cor. 6.* temporalem iuriſdictionem vocat Innoc. IV. *in d. §. debet.* niſi vt ferè hodie is verborum ſonus accipiatur de iuriſdictione ratione territorij, non officij Epiſcopalis competente; quo caſu non vidi hîc vmquam appellationes aliò, quàm ad Superiores territoriorum poteſtates dimiſſas.

Per viam nullitatis in Gallia contra Ius dicta aut facta vix emendan-

emendantur, ſed appellatur à die ſaltem notitiæ, ſeu conſilij habiti, poſt plures etiam annos. nec recipitur tit. *quando prouoc. non eſt neceſſ.* Bugnion. *leg. abrog. l. 2. ſect. 128. l. 1. ſat. 20. l. 2. ſect.* 133. ſed nec in Germania nullitas, niſi ſimul iniquitas allegetur, Gail. *cent.* 1. *obſ.* 42. aliiſque tribunalibus, Chriſtin. *vol. 1. d. 348.* Apud nos cautelæ abundantioris causâ appellationis nomen nullitati adiungitur: ſed neque omninò reiicitur, cùm ſimul iniquitas proponitur, etiam poſt appellandi tempora; aduerſus quæ rurſus ad cautelam reſtitutio poſtulatur.

Clem. VIII. 5. *Id. Febr.* 1592. *Conſt. inc. litium.* nullitates attendi vetuit, niſi ex defectu iuriſdictionis, mandati, citationis. ſed in materia nouæ inſtantiæ formandæ, quando appellationum tempora lapſa eſſent, præcisè Clemens non loquitur, & æquitas aliquando ſuadebit.

De appellationum materiâ, reuiſionum, & ſupplicationum, eorumque quæ circa res accidunt, ad mores noſtros latiùs videri poteſt Chriſtinæus *vol. 1. deciſ.* 11. *vſque* 49. De relationibus vt hodie non frequentantur, alibi diximus, *Iur. Pont. nou. anal. de appell.*

De modo procedendi.

POſt iudicialia omnia non importunè hîc incurrit Modus procedendi, quaſi qui per anacephaleoſin repeteret, quæ ſingulatim dicenda fuiſſent. Sed id longioris moræ eſſet futurum. diximus in *Iudice lib. 2. c. 7.* hîc tantùm ea inſeremus, quæ noſtratia. ſiquidem, vt in Gallia Bugnion. *leg. abrog. l. 1. ſat.* 64. 65. 185. 186. non ſeruamus iudiciarias formulas, ſeu rigidum ordinem iudiciorum, per leges præſcriptum: vt nec actionum nomina exprimimus, nouive operis prohibendi ſolemnia, ſed ſubſtantialia tantùm, atque ordinem vernaculum, ſeu domi cuiuſque natum. Vt & pridem, atque ab origine ſua Mandata atque Inſtructiones habuerunt Principum hîc Concilia Ordinationeſque circa modum procedendi. Mechlinienſe,

Brabantiæ, atque Hollandiæ habent suas impressas separatim, atque in postremas optimè scripsit Merula. Concilium Flandriæ in libro edictorum datas 15. *Feb.* 1385. 17. *Aug.* 1409. 9. *Maij* 1522. 22. *Aug.* 1531. 16. *Iuly* 1533. 4. *Ian.* 1522. sed quoniam passim quædam vsu obsoleta erant, vt res sunt humanæ, quædam melior vsus mutauerat, quædam nonnullibi temporum ratio desiderabat; rectè Principes nostri E. 12. *Iulij* 1611. mandauerunt, vt omnia Principum Concilia, vbi sunt illorum Fiscales, accuratè præscriptos mandatorum suorum seu instructionum terminos obseruent; & si quid mutatione egeat, ad Principem referant: idemque præstent inferiores Iudices, qui stylum iudiciarium habent emologatum. quem qui non habent, iis præsertim ruri mandet Curia Prouincialis, vt eum quo vtuntur trasmittant, ritè ordinandum: nisi alius videatur præscribendus: atque interim eo vtantur, quo superiores illius territorij. Quare ritè Camera legalis Flandriæ probatas Ordinationes obtinuit 9. *Maij* 1618. continentes modum procedendi, stylum, Iura atque salaria Curiæ eiusdem feudalis. prout & Concilium Flandriæ 20. *April.* 1624. Instructionem accepit ad rectam administrationem iustitiæ, & filum iudiciarium probè texendum, officia Senatorum, scribarum, patronorum, procuratorum, executorum, viatorumque complectentem, atque hos quidem vltimos latissimè dirigentem. Sed & pridem præuenerat Cancellaria Brabantiæ; quæ iam à 13. *April.* 1604. ab Alberto & Isabella reuisas acceperat, atque emendatas Ordinationes. Insecuta sunt Concilia alia, ac pleraque tribunalia. Sed & pluries in Concilio Flandriæ occurrentibus incommodis prouisum est. Reprehendit plures excessus Ordinatio 27. *Iulij* 1619. atque alia 17. *Februarij* 1594. speciatim executores dirigens in bonis feudalibus, emphyteuticis, allodialibus, reditibus, actionibus, mobilibus subhastandis. 27. *Iulij* 1619. & in sportulis atque emendis exigendis. 8. *Iunij* 1582. vtque omnes emendæ per Concilium Flandriæ iudicatæ non obstante appellatione executioni mandentur. & 21. *Nouemb.* 1619. vt omnes

nes

es ſententiæ, quæ non excedunt quingentos florenos, non obſtante appellatione ſub cautione executionem ſortiantur. Extat etiam Concordatum inter Concilium Flandriæ, & ciuitatem Gandauenſem ſuper Concilij iuriſdictione, & ſuppoſitorum immunitate. quæ omnia cùm ſingulatim ſpectent Concilium Flandriæ, latiùs non exequemur.

Sed quoniam frequentia exceſſuum executorum prouocauit Principum religionem, iidem generaliter decreuerunt E. 12. *Iulij 1611.* vt omnes executores, accenſi, oſtiarij iniuriis abſtinerent, neminem concuterent, mandata ritè exequerentur, cum modeſtia tamen congrua & reuerentia; præſertim extraordinarij, qui magis diſſiti licentiùs ſolent peccare. ad quorum coërcitionem recurrere liceat ad locorum Magiſtratus; qui querelas, & accenſorum excuſationes, teſteſque audire poſſint, & ad Curiam, vnde viator venit, mittant; quæ porrò prouideat.

Generatim porrò in procedendi modo commendatum illud eſt à legibus, & edictis, vt cauſa diligenter examinetur, & in lite celeriter procedatur. & præſertim in E. 30. *Januar. 1545.* mandatum eſt vt aduerſus contrauentores illius Edicti, nuncupatim ſuper luxu veſtium, exceſſu donationum ad ſacrum Baptiſma, quæ non fiunt in pauperes, ſuper vſurariis publicis, adminiſtriſque, ne ſacris interſint, ſummariè ita procedatur, vt intra ſemeſtre ſententia detur, executio fiat, alioquin ij per quos ſteterit mulctam ipſi ſoluant; nec ob eam tamen rei exonerentur, & officiarij Iudices negligentes Fiſcalibus denuntient. Neque aduerſus has ordinationes admittatur exceptio, quòd non generatim fuerint obſeruatæ; ſed quiſquis fuerit in numerum reorum relatus, innocentiâ ſe purget, non numero ſociorum.

De modo procedendi in causis criminalibus.

QVàm vtile est vt respublica careat malis hominibus, quies populi; & tranquillitas obseruetur, noxiique compescantur; tam iustum est, vt ritè atque ordine in reos inquiratur: præsertim vbi appellatio à sententia criminali, vt plerisque Belgicæ locis, non recipitur. adeoque sanctissimè Principes nostri Albertus & Isabella E. 12. *Iulij*. 1611. *ar*. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 47. statuerunt, vt in criminalibus causis Iudices, qui ordinarium certumque stylum procedendi non habeant, eo vtantur qui decretus est pro suo Prouinciali Concilio.

Vt officiarij statim atque notitiam habuerint per famam, rumorem, querelam, denuntiationémve partis, reum in flagranti crimine inuentum apprehendant: si deprehendi sic non potuerit, ritè fiat informatio: & si Iudex semiplenam probationem, aut vehementem suspicionem inuenerit, reo manus iniiciatur; aut dies dicatur ad comparendum personaliter, iuxta delicti & personæ qualitatem: & si res ad bonorum confiscationem ex Iuris edictorúmve præscripto disposita sit, simul annotentur, & apprehendantur rei bona.

Ne cui tamen insonti struatur calumnia, non liceat officiariis cuiquam manus iniicere, qui fixos habet lares; aut ad comparendum personaliter in Ius vocare nisi in flagranti delicto deprehendatur, aut Iudex ex informationibus decreuerit, aut ad instantiam partis formalis per accusationem, vbi ea in vsu est, procedatur.

Reo apprehenso aut personaliter comparente, Iudex, officiariusque mox se dent instruendo processui, sub breuibus & peremptoriis dilationibus, ritè se informent, omniaque iure præscripta peragant, ad culpandum, excusandúmve reum; litemq; summariè instructam, quàm primùm Iudices finiant; etiam in arduis semestre spatium non excedentes: & si notabilis negligentia

gligentia dissimulatióve reperiatur, Concilia Prouincialia causam ad se euocent, mox expediendam: illosque Iudices, atque officiarios pro merito castigent.

Et ne officiarij cauillos patiantur, suffecerit illos concludere ex iis quæ proponent, informationibus, confessionibus, & probationibus, vt delictum puniatur pro ratione Iuris, edictorum, seu alia pœna quæ iusta æqua videbitur.

Iudices porrò pœnas imponant Edictis præscriptas, seu quas vsus patrius recepit; alioquin quas leges scriptæ proponunt, administratâ bonâ & æquâ iustitiâ.

In arbitariis porrò æquè arbitrentur, & pro grauitate causæ consilium petant à peritis in Iure & praxi, benè ponderent delictorum qualitates, & circumstantias, vt proportio seruetur criminis, & pœnæ.

Non liceat officiariis cum reis transigere, super criminibus extremo supplicio, perpetuo exilio, seu corporali pœnâ, secundùm edicta patriasque consuetudines dignis: & procurator Fiscalis huiusmodi officiarios, & reos iure prosequatur: nisi sicubi Principes aliud priuilegium concesserint.

Reis criminalibus nulli officiarij Principales aut subalterni saluum conductum concedant; sub pœna nullitatis, correctionisque arbitrariæ eorumdem.

Fuit & aliud edictum complectens Instructionem criminalem sub gubernatione Albani Ducis 9. *Iulij* 1570. emissum: sed, quòd eius rigorem iniqua hæc tempora non paterentur, non vndequaque seruatum: præsertim ob E. 8. *Nou.* 1576. *Pacificationis Gandensis. ar.* 5. quod rigorum illius, edictorumque contra hæreticos latorum suspendit. Vnde & Ordinatio data eodem 9. *Iul.* 1570. super stylo & modo procedendi in causis criminalibus, suum finem non est assecuta. & E. 12. *Iul.* 1611. vt diximus, Iudices, qui proprium non habent stylum, Prouincialis Concilij, non Ordinationem 9. *Iul.* 1570. sequi iubentur. Sunt tamen præclara multa atque è re publica statuta in vtroque eo edicto, quæ optandũ esset in vsum reuocari. multa ea sunt, iisdemque

demque edictis, præsertim quod stylum tangit, satis summariè proposita; ad quæ idcircò Lectorem remittimus.

Sed & E. 13. *Iun.* 1626. declarauit, vt non censeatur satisfactum 12. *ar. edict.* super homicidiis 1. *Iun.* 1618. vt cadauera per chirurgos visitētur, nisi Magistratus & officiarij assūpserint Iuratos, legitimè admissos, & à Magistratu approbatos chirurgos.

Quin etiam pridem E. 1. *Iul.* 1510. ordinatum, vt criminosos omnes officiarij possint apprehendere; nec remittere teneantur officiario negligenti: à diligenti autem recuperent expensas rationabiles in apprehensionem factas.

Et E. 27. *Octob.* 1469. 2. *Maij* 1500. decretum, vt nullus officiarius possit malefactoribus, reis, aut bannitis dare saluum conductum, nec pati eos versari in his locis, sed sine dissimulatione contra eos procedant, sine respectu vllius salui conductus, nisi sub sigillo Principis concessi. Sed & quantæuis auctoritatis sit officiarius, nullum saluum conductum det reis cuiuscumque criminis, nisi primùm parti satisfactum sit, & de consilio Concilij, cui interimamentum committitur, & litteras suas intra trimestre ei offerant verificandas, sub pœna quòd erunt inefficaces. & E. 12. *Decemb.* 1554. vt apparitores magni & secreti Concilij reos intra triduum post apprehensionem consignent in carcere Iudicis, cui per litteras causa cognoscenda committitur, sub pœna correctionis arbitrariæ.

LIBER III.

De rei vendicatione, & acquirendo rerum dominio.

TRaditione rerum dominia transferuntur. *l. tradit. C. de pact.* & clauium pro re ipsa. *l. 1. C. de donat.* aut si quis donet seruato vsufructu, *l. 28. C. de donat.* quando generaliter, qui alterius nomine se cōstituit possidere dominium transfert, *l. 18. D. de acquir. poss.* sic & hæres vindicat, quod hæreditati obuenit. *l. 64. de furt.* & legatarius rem legatā. *l. 80. de legat. 2. lib. 1. C. de donat.*

donat. quæ sub mod. & vetus dominus rei venditæ sub pacto commissorio eo non seruato. *l.4.C.de emp.& vend.* Iura tamen, nomina, & actiones personales venditione & cessione transferuntur. *l.vlt.C.de hæred.vel act.vend.* & beneficia solâ collatione *c.si tibi.de præb. in 6.* & feuda solâ inuestiturâ. *c. 1. quid sit inuest.* & ibi DD. moribus autem nostris per inuestiturarũ solemnia generaliter coram dominis & Magistratibus rerum sitarum dominia transferuntur; & vix aliter: nisi rebus in dotem datis, inter cohęredes diuisis, aut testamento datis, legatis. quod multis locis disertè consuetudines expresserunt, nonnullibi tamen practici controuertunt. Sed in Brabantia decisum, vt diuisione huiusmodi dominiũ transferatur. Christin. *vol.1.d.362.* quamuis edicta *10.Feb. 1538.* aliaq; nullam dominij translationem, nisi coram Magistratu rei sitæ videtur agnoscere, nulli reditus aut obligationes hypothecas afficere, nisi recognitæ coram Curia feudali aliáve à qua tenentur. Christin. *vol.1.d.94.* decretumq; vt condemnationes voluntariæ contineant clausulam, vt sint sine pręiudicio directi domini, & iuris quinti nummi; alioquin Ius reale nullum pariant. Et quoniam fraudes multæ re vna diuersis venditâ, aut obligatâ contingebant, E. 6. *Dec.1586.* iterùm declaratum, non aliter res affici nisi corã Magistratu situs. quemadmodum olim in Iure cessio fiebat coram Magistratu, cedente domino, vindicante eo cui ceditur, addicente prætore: quæ legis actio vocabatur. mandatumq; Edicto, vt omnium alienationum, obligationumque Registrum separatum locorum secretarij conscribant, & ab antecessoribus scripta congerant, insertis bonorum oneribus, contrahentibus, & Iudicum nominibus; eademq; Registra post mortem secretariorum in arcam deferantur, cuius clauem successor habeat; vt omnibus quorum intererit, copiam facere possit: cureatque Magistratus per idoneas pœnas, vt hæc omnia sic obseruentur: teneanturque omnes, qui auctoritate publicâ aliquos contractus actusque exceperint, sua registra Fiscalibus Regiis, atque officiariis exhibere, vt prouideatur aduersus dispositiones in Fisci præiudicium factas.

Huius-

Huiusmodi Registra in archiua reponi iubet Iustin. *Constit. de defensor. ciuit.* §. *quæ verò.* & magno Reip. malo, notariorum registra non vbique satis exactè huic constitutioni seruandæ conformantur.

Rursus E. 12. *Iulij* 1611. *ar.* 15. renouatum edictum 6. *Dec.* 1586. vt nullæ alienationes, obligationes, fideicommissa rem afficiant, nisi coram Curia vnde dependent. sed tamen *ar.* 24. *&* 25. Fisci tacita hypotheca in bonis administratorum, eâ ordinatione non comprehenditur. quod & tralatitium esse dicendum est, ad eos creditores, quibus Ius tacitam hypothecam concedit.

Iure dominus rem suam vendicat. sed multorum locorum moribus emptam in nundinis, aut foris liberis, si à venditore pretium non possit recuperare, emptor non restituit, nisi redhibito pretio, quod iuratus declarat se soluisse. Idem priuilegium nonnullibi habent veteramentarij: & solebant habere qui Mensas fœnebres exercebant: & nunc habent Montes pietatis. ad modum quo sumptum recuperat, qui rem ab hostibus redemit. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol.* 2. *d.* 113.

Rigidè etiam cum iis agit *lex, si inter.* §. *sed & id. D. de rei vendic.* §. *cùm in suo. Inst. de rer. diuis.* qui in alieno ædificant. Et sic vidimus reductâ sub Regis obedientiam Antuerpiâ, cum iis agi, qui in fundis Ecclesiasticis ædificauerant, vt tantum restitui iuberetur, quanti materia æstimaretur à fundo separata, quam malæ fidei possessor posset auferre. Sed alioquin extra eam improbam fidem, quamuis fundo ædificium cedat, fundi tamen dominus condemnari solet, vt eum dumtaxat recipiat, reddito sumptu, quo pretiosior factus est; aut super fundo, atque ædificio pensio imponatur, ex meliorationis æstimatione, si maluerit. Bugnion. *leg. abrog. sat.* 202. *&* 1.

Rem sequuntur quæ rei inhærent, aut adhærent; &, paraphrasi vernaculâ, quæ terrâ aut clauo annexa sunt. De columbis, cuniculis, piscibus viuariis columbariisque detentis, disputant nonnulli, *l. funes* 15. *D. de act. empt.* asserit pisces qui in piscina

›iſcina ſunt nec ædium eſſe, nec fundi, *l. 3. §. item feras. D. de* *cq. poſſeſſ.* piſces qui in ſtagno ſunt à nobis non poſſideri: ve- ùm *l. ſi reditus agri. l. eadem. l. quæſitum. §. in agro. D. de inſtruc. & in-* *ſtrum. leg.* ſi reditus ex melle conſtat, aluei, apeſque continentur: ıues quæ in inſulis maritinis continentur, ſi ager ex venatione, ut aucupio reditum habuit, venatores & aucupes, canes, & ›lagæ: rem ergo ſequuntur legatam, datam. præſertim ſi faue- t conſuetudo, vt multis locis hæredem immobilium ſequun- ur. alibi ſecus vſus habet. vt in Francia Balduinus fundi par- es hæc cenſeri tradit, *Inſt. de rer. diuiſ. §. iis autem.*

Sed & fructus poſſeſſor reſtituit, vſque ad quæſtus inhone- :os; *l. ſi poſſeſſor. 54. D. de pet her.* ſed mores Chriſtiani id non ad- ııttunt, ne particeps criminis petitor fiat.

Sed neque refectiones & emphonemata *ex Conſt. Car. IX.* *r. 52. 1566.* executionem reique reſtitutionem in Gallia retar- ant, datâ tamen cautione. ſed hîc vidi per plures annos ſuper is poſſeſſores poſt rem abiudicatam litigantes.

De ſeruitutibus.

IVs altiùs tollendi ſeruitus eſt, quando prædio vicino incom- modari poteſt. nempe ſupra conſuetam altitudinem ædifi- cium tollere non licet. *l. lumin. de ſeruit. vrb. l.* 1. *C. de ædif. priuat.* quod & moribus Germaniæ receptum tradit Gail. *. 1. obſ. 69.* vnde conſtitui poteſt, vt is modus & altitudo ex- di poſſit. quæ pactio ius ſeruitutis continet, cùm aliàs vbi vi- no non incommodatur, in cælum vſque ædificium tollere ›ertas naturæ ſit. *l. 9. l. vlt. D. de ſeruit. præd. vrb. l.* 8. *C. de ſeruitut.*

Ad legem Aquiliam & ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

SI quadrupes pauperiem fecerit, dominus eius æſtimatio- nem rependit, aut quadrupedem noxiæ dedit. hanc dedi- tionem Ordinatio Imperij *c. 130.* mutauit in æſtimatio-

nem boni viri arbitrio rependendam; apud Saxones autem, qui noxam recipit, tenetur simpliciter; qui pro derelicto habet, non tenetur. Wesenbec. *in com. tit. si quadrupes pauper. n. 6.*

Pecus alienum quod nocuit, non aliter quàm meum agere, aut includere licet. *l. 39. D. ad leg. Aquil.* custodire licet, donec dominus sciatur: apud nos in stabulum, aut custodiam dominicā agitur donec facta pauperies reparetur seu caueatur. nihilominus si remotior est domini custodia, per vigintiquatuor horas, includere licet. *In omni ferè Regione*, inquit Bugnion *l. abrog. l. 4. synt. 65. l. 2. sec. 233. & l. 6. coll. 21. consuetudines locorum enumerat.*

Iniuriæ damnum dari multi apud nos veteres recentesque leges prohibent. E. 7. *Sept.* 1536. 11. *Ian.* 1548. ne quis sepes, aut qualiacumque munimenta domorum, hortorum, syluarum, agrorum frangat, vellicet, sub pœnis pecuniariis, quas pro filiis etiam & famulis soluant parentes & heri. Nemo animalia immittat; quæ pauperiem facere possint in alienum fundum, agrum, viuarium: nec conductor quidem in rem conductam; ita vt locatori damnum detur in surculis, aliisque ad eum spectantibus: sub mulctis pecuniariis, quæ duplicētur ex nocturno maleficio. Nemo quid auferat, exscindat, virgulam, perticam, &c. prata communia nemo faciat, supra quam olim consuetum sit: nemo in communis prati partē quamuis demessā, antequam demessum sit totū, bestias immittat, quarū trāsitus sine noxa nō sit: nemo quācumque ratione damnum det, accretionem lignorum quocumque instrumento impediat. Quisque diligenter caueat, ne animalia sua alienum fundum ingrediantur; sub mulctis, quæ incurrantur, quamuis is cui damnum datum est non conqueratur; quamuis etiam pauperies facta non sit. non obstante quocumque vsu in contrarium, qui corruptela esse declaratur. Officiariis credatur iuratis, quoad officium suum referentibus; respectu mulctæ: sed, quoad id quod partis interest, summariè sine figura Judicij, damni probatio fiat coram Iudice loci, sumptu partis contrauenientis Ordinationi. quin imò ipsi parti credatur cum vno teste, viro, aut muliere,

quoad

quoad deprehensionem alieni animalis in agro suo: quin & acta oculari inspectione damni dati, parti permittetur quantitatem damni iuramento æstimare. quin & exinde statutum st solâ relatione officiarij damnum probatum fore. sed duo iri boni per Magistratum designandi damnum æstimabunt. uod mox cogetur refundere dominus animalium seu patermilias. officiarij statim agant ad pœnas summariè, & expedito idicio, sine vlla interpretatione, mutatione, moderatione œnarum, sub pœna correctionis arbitariæ.

Familiæ erciscundæ.

DIuisio bonorum officio Iudicis fit. *l.3. D. fam. ercis.* solet tamen maior diuidere, minor eligere, in Germania & Saxonia. Gail. *lib.1. obs.126.n.* 14. Mynſ. *cent. 4. obs.* 37. Tiraquel. *de primog. q. 60.* & in terris Ecclesiæ id obserndum vult Fachin. ad rationem *c. 1. de parochiis.* sed multislos obtinuit, vt communi consensu tot partes fiant, quot sunt heredes, ac tum sorti res committatur. Si res indiuisibilis sit, num exponitur, aut alter æstimat, alterique offert, vt vel sic nat vel coheredi vendat. Sed quia sæpè æstimator diues est, er pauper, cui nec emere integrum sit, nec iniustè æstimato rere velit; solet publica subhastatio frequentior esse.

Quod si in ipsa diuisione magna fuerit inęqualitas, datur restitio. Bugnion.*leg. abrog. l.1. sat.*43. quòd si res sit diuisa, quam ores alicui faciunt præcipuam, repetitur: sed si super illius e fuerit ante diuisionem contentio, intelligitur transactum per ea esse, neque datur restitutio. Iudicatum Curiæ Mechliensis apud Christinæum *volum. 2. decis. 182. numer. 3.* super timatione autem facilior est restitutio, & sumptis aliis artis ritis alia indicitur æstimatio. Iudicatum Curiæ Mechlinien. ud Christinæum. *vol. 1. decis. 260.*

De communi diuidundo.

QVi in communem domum reparationes fecisset, socio nolente partem soluere solidum dominium impetrabat. *l. cum duobus. §. idem. D. Pro socio.* qui in vicino ædificauit, si nolit vicinus contribuere, dominium in solidum adipiscitur, *l. si vt proponis. C. de ædif. priuat.* neutrum ex integro apud nos obtinet. Non sanè prius, sed agere permittitur, vt expensæ necessariæ ei refundantur; pro vtilibus pensio constituatur; dummodò non inuito socio factæ sint: nam in re communi melior est conditio prohibentis. In vicinis autem ædificiis, quatenus in vicini solo ædificatum sit, vtimur eo iure quod *suprà de rei vend.* dicimus de eo qui in alieno ædificat. Si tamen murus tantùm sit qui fundos terminet, nisi vicinus sumptum pro parte ferre velit, cedit structori; si posteà tignum velit immittere, aut aliàs vti, debet sumptuum partem repræsentare.

Finium regundorum.

FInium regundorum actioni per annos 30. præscribitur *l. vlt. C. fin. regund.* quod admissum non videtur in finibus parochiarum, & diœcesium *c. super eo. de paroch.* quod de finibus Regnorum & Principatuum Costalius aliique censuerunt; & mores seruare videntur. Vnde æternæ in finibus quæstiones.

De vsufructu.

SYluam cæduam, quę succidi & renasci solet, *l. 30. D. de verb. sig.* fructuarius cædere potest, *l. 10. 11. 12. D. de vsufruct.* annis consuetis. sed & vendere: etsi auctor non solet. *l. 9. §. final. ibid.* grandes arbores cædere non potest, *l. 11. eod.* Christinæus *volum. 1. decis. 129.* iudicatum refert. demortuas tamen

tamen accipit, & nouas substituit. *l.* 18. *eod.* non vi ventorum eiectas, quæ cedunt proprietario. *l.* 19. *in fin. eod.* aufert ille tamen quantum sufficit vsui villæ. *d. l.* 12. seruato tamen semper priori vsu patrisfamilias. *d. l.* 9. *in fin.* vnde & quædam syluæ sic habentur, vt non sint regulariter cæduæ, sed quotannis maiores aliquot arbores: vsus fructuarius modum consuetum seruare poterit. Sic alicubi syluæ communitatum habentur, & ius lignandi. quod ex vsu regionis maximè pendet. In Gallia sine designatione custodum ex huiusmodi syluis amputare nihil licet. alibi procurator Principis interpellandus est; qui modum, locum, tempus præscribat. quod & nuper Leodienses obseruare cœperunt.

Beneficiarij sanè fructuariorum instar grandes arbores succidere non possunt: nisi ferè ea obseruent, quæ in rerum Ecclesiasticarum alienatione præscribuntur. sed cùm adeò grandes sunt, vt sine accretione iam inutiliter senescant, non facilè tantùm concedendum, sed sæpè & mandandum videtur, vt succidantur, periculisque bellicis aliisque casibus subducantur, & pretium in comparationem prædiorum Ecclesiæ vtilium, aliorúmve redituum, non in vsus beneficiariorum vertatur.

Fructuarius fructus perceptos transmittit ad hæredes, *l.* 82. *l.* 12. §. *fruct. D. de vsufruct.* perceptos; intellige à solo separatos, *l.* 13. *quib. mod. amittit.* ad quam rationem idem de vasallo statuendum videtur, & in beneficiario recipit Glos. *in c. præsenti. de off. ordinar. in 6.* sed rectiùs Annæus Robert. *rerum iud. l.* 3. *c.* 3. existimat pro rata temporis fructus diuidendos, tamquam præmia seruitij præstiti; vt serui fructuarij locatarum operarum pensio pro rata temporis diuiditur. *l.* 25. §. *si oper. l.* 26. *D. de vsufruct.* beneficium enim datur propter officium. & ita decretum in Synodo Antuerpien. 1609. *tit.* 18. *c. vlt.*

De religiosis, & aleæ lusu.

DE sepulchralibus monumentis statuit *lex* 4. *C. h. t.* à nemine iure dominij vendicari. vnde nec vendi nec emi posse iudicauit Curia Mechl. apud Christin. *vol. 2. d.* 195. & qualitatum inscriptarum probationem facere in his quæ nemini obsunt, etsi non semper conficere.

Quæ porrò de religiosis, & sepulchro violato *D. & C.* leges tractant, earúmque pœnæ, pro magna parte cessant hodie; cùm non licet Christianos citra peccati pœnam non excommunicatos extra loca sacra sepelire. *c. fraternit. x. de sepult.* quin & *l.* 2. *C. de sacros. Eccles.* cessat ne quis in templo sepeliatur, ne corpora humana sedem cum Apostolis & Martyribus habeant. & *l. mortuorum. h. t.* nam in ædibus sacris non Magnates tantùm, sed & promiscuæ sortis homines tumulantur. permittit *c. præcipiendum* 13. *q.* 2. sepulturam in atriis, porticu exedris: sed humana superbia ascendit semper.

Lusus aleæ multis pœnis à Iure coërcetur: sed eæ in vsu non sunt. ad eam referri possunt sortilegia; quæ E. 2. *Maij* 1526. prohibentur, sub pœna amittendorum præmiorum propositorum, & collatæ pecuniæ: iis exceptis, quæ pro Ecclesiis, & causis piis sunt concessa.

Sub aleæ lusu non comprehenditur taxillorum, seu alius ex industria pendens, nec sponsio tertiorum, qui decertant super futurâ aliorum victoriâ: tamquam periculi pretio designato. Iud. à Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 2. d.* 93.

Sponsiones super successibus rerum publicarum, victoriis, ciuitatum deditionibus, similibusque causis sæpiùs hîc prohibitæ sunt. meritò; tum quia aleam redolent, sine industriâ marsupia expilantem; tum maximè quòd occasio datur arcana hostibus prodendi, ob quæ speratæ victoriæ è manibus elabantur.

LIBER IV.

De rebus creditis.

VEnditor si fidem non habuerit de pretio, rem vendicat, etiam cùm emptor cedit bonis. Fidem non habitam ferè per mores credi solet, si solutio mox fieri debuit: habitam, si illa in diem dilata est.

De suffragio.

VT Iudices sine quoquo suffragio promoueantur, vt iure communi *Auth. vt Iudices. c. 7. §. 8. & 10.* ita & ritu prisco apud Brabantos pridem obtinuit, & Respub. benè institutas. Greg. Tholos. *in syntag. l. 36. c. 29 n. 11.* Exstat opusculum D. Thomæ ad Aleidem Brabantiæ Ducissam super ea re consultantem. Ioannes Brabantiæ Dux an. 1312. pro se, & successoribus Brabantiæ Ordinibus promisit, nullos officiarios constituendos, qui munus, aut pecuniam daturi, aut mutuaturi essent. quod secuti Principes exinde in læto Introitu Brabantiæ promittere solent. Tandē Philippus IV. E. 2. *May* 1627. pro omnibus suis ditionibus Belgicis ad publicas querelas prouinciarum censuit prouidendum, ne officia Iustitiæ cuiuscumque nominis, aut gradus, venalia habeantur; cum dedecore Justitiæ, & subditorum oppressione, eorúmve causâ quocumque prætextu quidpiam recipiatur; præter consueta iura sigilli; etiam à quibuscumque vasallis, quarumcumque iurisdictionum gradum obtinentibus; sub pœna quòd eadem officia ipso Iure vacabunt, ab aliis impetrari poterunt, & pro eâ vice à Rege conferentur; dantes munera & accipientes officiis priuabuntur, & omni vitâ inhabiles erunt. idemque censendum de iis officiis, quæ dependent à Magistratibus pagorum,

gorum, ciuitatum, territoriorum. Quamuis pecunia in ipsos horum vsus non priuatos collatorum verteretur, nisi Jus contrarium prætendatur, cuius munimentis examinatis statuatur quod ratio dictauerit. Quod vt faciliùs obtineat, in omnibus prouisionum litteris inferetur formula præstiti Iuramenti; *quòd prouisus nemini quidpiam dederit*, &c. Annotabiturque in actis prestatio Iuramenti, cùm prouiso litteræ tradentur, aut ad exercitium recipietur. Idemque in creationibus magistratuum, quibus sub pœna nullitatis, priuationis officij, quod eo ipso impetrari, & à Rege pro illa vice conferri poterit, inhibetur: ne ante præstitum huiusmodi Juramentum exercitio se immisceant. Et quamuis Edictum de futuris se disponat, non tamen præterita vult conniueri, sed in illa inquiri, secundùm Ius & priora edicta puniri. Quoad officia viatorum, executorum, similiúmve oppignorata, donec importunitas illorum resignationem permiserit, pretium inter contrahentes super designatione conuentum apud acta annotabitur. Prefatio Regia totusque edicti stylus & adiectæ pœnæ satis indicant enixam Regis voluntatem, vt plano verborum sensu iuretur, sine restrictionibus mentalibus, *non dedi scil. non publicè, non indignus, non vltra solitum. Periuri sunt*, inquit Augustin. *ep. 224. qui seruatis verbis, expectationem eorum quibus iuratum est, deceperunt. quacumque arte verborum quisquis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille cui iuratur intelligit. c. quacumque 22. q 5. Fraus ergo astringit, non dissoluit periurium.* Cic. *l. 3. off.* Romani Senatu depulerunt eum qui ita iuramento abusus esset, non attendentes *quid ipse iurando cogitasset, sed quid ab illo ij, quibus iurauerat, expectarent.* Augustin. *d. ep. 224. lex variemus. C. ad leg. Iul. repet und.* ad mores ferè nostros, edictumque, iubet magistratus *iuratos inter cetera depromere se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quippiam, neque daturos vmquam postmodum fore siue per se siue per interpositam personam in fraudem legis sacramentique.* & simile olim Cato Senatusconsultum *obtinuerat*, vt magistratus *iurato indicio se offerre cogerentur, atq; ibi rationem parati magistratus reddere.* & retento

eo-

eodem Iureiurando corruptis tamen in Pop. Rom. moribus. non dubitat tamen Augustin. *l. 3. de Ciuit. c. 2.* non admissa restrictione (*non vltra solitum*) censere; *corruptissimis moribus ad huc mos iurandi seruabatur antiquus, non vt à sceleribus metu religionis prohiberentur, sed vt periuria quoque sceleribus cæteris adderentur.* Latius de huius iuramenti vinculo Responsum dedit an. 1634. Facultas Theologica & Juridica Louaniensis, & argutias callidorum explosit probatis auctoribus. Mihi constat ad relationem Matthiæ Houij Archiepiscopi Mechlin. super huiusmodi excessibus respondisse Albertum Pium, mentem suam esse, vt ex vetere formula iuraretur, & periuri punirentur.

De actionibus & obligationibus.

MVltis grauibusque de causis prudenter statutum est E. 12. *Iulij* 1611. *ar.* 19. vt quisquis disponere voluerit de re excedente valorem, aut quantitatem trecentorum florenorum, seu per vltimam voluntatem, donationem, contractum nuptialem, venditionem, seu quamcumque conuentionem; id faciat in scriptis, siue sub chirographo, siue coram Notario & testibus, seu aliis publicis personis, secundùm dignitatem rei, de qua agitur: qui super ea legitimum conficiat Instrumentum. quod solùm recipiatur ad probationem rei gestæ: adeò vt Judices aliam probationem per testes supra tenorem Instrumenti admittere non possint.

De pignoratitia actione.

PIgnori accedunt fructus pignoris exstantes, eoque soluto restituuntur, consumpti sorti imputantur. tamen antichresis Iure Ciuili admittitur, vt cedant creditori fructus; Canonico reprobatur: exceptis certis casibus. vsus noster admittit. A principibus nostris etiam Ordinum consensu,

dominiis, villis, pagis oppignoratis frequenter celebratum: dummodò debitori perpetua sit facultas luitionis, non autem creditori repetitionis sortis: & incerti fructus non æstimentur vltra iustum reditum. v. g. nummi 16. atque ita in Germania Mynsing. *l. 6. obs.* 71. frequentissimum hunc contractum Jure, & vsu probat, aliique alibi.

Mobilium pignus ferè creditori traditur, quasi in pugnum detur: vsus illud cum hypotheca confundit; frequentiùs tamen hæc de immobilibus accipitur. de mobilibus autem oppignoratis ferè non datur actio per locorum mores cùm ad tertium possessorem venerunt. Inde Galli axioma tradunt, *meubles n'ont point de suite.* quod & arresto Cancellariæ Brabantiæ decisum refert Christin. *vol.* 1. *d.* 274.

Ad Macedonianum.

QVi ad summas dignitates perueniunt, ipso iure patriâ potestate soluuntur. *Nouell.* 82. *c.* 1. ideò in eis cessat Senatusconsultum Macedon. quod in filiisfam. locum tantùm habet; tametsi olim res se secus haberet. ideoque filiusfa. Consul Macedonianum implorare posset. *l.* 1. *§. fin. D. ad Macedon.* & mores nostri *d. c.* 1. consonant, imò passim ferè per nuptias, & sacerdotium patria potestas soluitur. & ob hanc causam minus obtinet per mores SC. nō verò, quod Automnus scripsit, omnis dignitas facit cessare SC. eò quòd non nisi maiores ad eas promoueri possint, quoniam non de minoribus, sed de filiisf. illud agit. quod ideoque in iis non cessat, per quas non soluitur patria potestas.

Tametsi porrò Macedonianum propriè obtineat in mutuo, non incongruè tamen dicimus etiam locum habere in pecunia reditum accepta. æs siquidem alienum est, in quo incommoda locum habent; quæ Senatusconsultum præfatur: nec reditus

reditus quoad hæc à mutuo distat: tametsi aliter in securitatem conscientiæ concipiatur, quo vsuræ vitium vitetur, facit *l.* 3. *§. is autem. D. ad Macedon.* Buss. *de ann. red. l.* 1. *c.* 5. *n.*8.

Nummos extantes negat condici Vlp. *in l. sed si* 9. *§. hoc. D. eod.* Automnus ait à Curia Paris. *Id. April.* 1588. datam prælationem vt in mercibus extantibus venditori præ ceteris creditoribus.

Ad Velleianum.

MAtrem pro filio fideiubentem teneri censuisse Senatum Paris. 26. *Nou.* 1545. & Burdegal. 24. *August.* 1568. contra *l. si fideiuss. D. eod.* tradit ad eamdem l. Automnus. vt & edicto Henrici IV. sublatum est hoc SC. 1607.

De vsuris, & nautico fœnore.

REdituum pecuniariorum præsertim personalium causa valdè imminuit vsurariam praxim. sed & quoniam mercatorum ob pecuniæ ex industria sua fructum libertas intra terminos damni emergentis, lucrique cessantis vagabunda vsurariis legibus multam fraudem faciebat; vetuit Carolus V. E. 4. *Oct.* 1540. ne mercatores pecuniam collocent ad maius lucrum, quàm duodecim in centum; idque in annum dumtaxat vnum; prout verisimiliter collocatâ in merces pecuniâ lucrati fuissent: aliter initi contractus sint irriti, nec alij quàm mercatores, aut cum eis lucrum & damum communicantes pecuniam elocent ad annuum lucrum; sub pœna confiscationis eiusdem pecuniæ, atque punitionis in vsurarios publicos decretæ.

Sed & vsurarios cõtractus imminuisse multis videtur in vsũ frequentẽ nuper vocatus cõtractus triplex, societatis, assecurationis, & certi pro incerto lucri pactũ. vt scilicet quis mercatori centum in societatem conferat, eam sortem mercator secu-

ram faciat, & in vicem decem fortè aut quindecim, quæ societas parere posset, quotannis mercator soluat sex. quam formam negotij quamuis ab aliis oppugnatam eruditè defendit Malder. *de Iust. tr. 5. c. 2. d. 9.* Less. *de Iust. l. 2. c. 25. d. 3.* si modò verè, quod scribitur, agatur; non dicis tantùm causa; & pallium vsuræ quæratur. quam canones & Caroli V. edictum vetuit, quando sors collocatur cum lucro, & facultate repetendi. & disertè Pontifex Roman. Sixtus V. *Constit. inc. detestabilem, data 12. Kalendas Nou. 1586.* damnauit. sed in futurum atque *posthac*, vt loquitur Const. nō vt ex Iure naturæ vsurariam. vt benè Malder. Adde quòd ipsa Constit. præfatur de illis, qui speciosum & honestum societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexunt; atque ita de fraudulentis. Vnde qui verè societatem non intendunt, non mercatoribus, nec in mercaturam dant, eo nomine non excusantur ab vsura, quod quia sæpè, ne dicam plerumque, fit; plenus periculi est hic collocandi modus. Denique quidquid theoricè disputetur, praxis contractus triplicis non facilè in iudiciis approbabitur. vt & in Concilio Magno improbata aliquando dicitur. & E. 4. *Oct.* 1540. satis videtur aduersari: & Paulus V. iussit Sixti V. Const. obseruari. & Synodus Antuerp. 1609. *t.* 5. *c.* 12. Confessariis diligens examen iniungit. alioquin singuli contractus per se licent. & in *c. per vestras. x. de donat. inter vir. & vxor.* marito ad inopiam vergente, nec cauente, dotem Pontifex iubet committi mercatori, vt de parte honesti lucri vir onera matrimonij supportet. sed non dicitur ibi ea pars alio pacto determinari, nec sors assecurari.

Sed & edictum latum est *vlt. Oct.* 1563. super assecurationibus, & nautico fœnere, legesque iis datæ; eæque auctæ E. 25. *Ian.* 1570. & forma data iuxta quam solam assecurationum contractus iniri possent. sed nec eam libertas mercatoria seruat.

Fuerunt iam ante plura sæcula in his ditionibus, qui ex indulto Principis Mensas fœnebres exercerent. de quibus latiùs egimus *in Iur. Pontif. nou. anal. tit. de vsur.* quas Edictum

10. *April.*

10. *April.* 1510. sustulerat, sed publica necessitas rursus inuexerat; & rursus Edictum 30. *Januarij* 1545. coërcuerat; vt fœnebrem mensam exercentes, partem in ea aut administrationem habentes, diuinis officiis non intersint, alioquin priuilegium amittant, & vt publici vsurarij puniantur. Denique E. 8. *Maij* 1606. suppresserat officium Superintendentis mensarum fœnebrium: & quibus indulta est tolerantia, vt eam exerceant, vetuerat ne in singulas libras Flandricas per hebdomadam vltra duos quadrantes exigerent, qui per annum conficiunt 21. in centum. sed & hunc excessum sustulerunt nunc hîc Montes Pietatis, magno beneficio Reipublicæ hîc erecti. quorum etsi adhuc onus debitores obliget ad decem in centum quotannis; spes tamen est breuî rebus paulatim constitutis, rationeque temporum emendata, leuiori adhuc grauamine indigentibus commodatum iri.

Pœnæ adiici per leges permissæ quantitati die certâ non solutæ, tamquam vsurariæ, & per canones damnatæ à moribus reiiciuntur. sed adiectæ facto, in odium non seruatæ fidei, tolerantur: præsertim cùm fieri stipulantis interest.

Multò igitur minùs vsuræ hodie ex sola stipulatione, exceptis vt dixi mercatoribus, permittuntur. & sæpè vix addici solent hodie vsuræ ex mora in bonæ fidei contractibus, sed à die iuridicæ interpellationis: exceptâ semper venditione, in qua numquam potest æquum esse rem & pretium habere; fructus percipere, nullasque vsuras pendere: aliterve resarcire quod abest venditori.

De compensationibus.

HVnc titulum Curiæ Ecclesiasticæ in liquidis etiamnum seruant, sed in tribunalibus sæcularibus pleraque locorum statuta non admittunt: nisi beneficio litterarum Regiarum, aut quòd res connexæ sint, & quasi alteræ alteris dependentes.

De emptione & venditione.

VSitatissimus & optimæ fidei est hic contractus. ideoque & ob latens vitium res redhibetur: aut, si vsus non omnimodo est inutilis, quanti minoris æstimata foret, soluitur. Quare si rem putans emere alaudialem, & liberam, reperit censualem, aut emphyteuticam; quanti ideò minoris valet, pretio detrahit. si autem feudalem tali nexu, ob quem ementi inutilis sit, v.g. personalem militiam aut alias similes operas debentem, nisi venditor libertate donari curet, clericus redhibet, seu cuicumque ea pro suo statu inepta est. sed quoniam pleraque feuda hodie instar patrimoniorum possidentur, non nisi quanti minoris agi solet. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol. 2. d.69.*

Qui pecus morbosum vendidit tignúmve vitiosum emptori ad damna tenetur. *l. 13. D. de act. empt.* Imò si fundum pestilentem esse tacuit tenetur. *l. etiam 49. D. de ædil. edict.* quin & si malum vicinum esse non dixerit, *l. sæpè 35. vers. si quis. D. de contrahend. empt.* sed hoc vsus non sequitur in iis quæ extra rem ipsam sunt. quamquam Automnus *in Censuar. ad l. Iulian. 13. D de act. empt.* negat in Gallia ob pecus morbosum aut tignum vitiosum actionem quanti minoris dari, & stomachatur aduersus eos quibus id displicet; sed immeritò: præsertim si & latens vitium difficilè nec ex tempore possit deprehendi, nec ex minimis sit, sed de quo prætorem curare oporteat. quid quòd ipse Autom-

Automnus laudet Parif. fententiam quæ declarauit fponfæ iuftam effe caufam non contrahendi matrimonij, quòd chirurgi vnum fponfo tefticulum exfectum renuntiaffent, & tamen generare poffet, cùm ob generationis potentiam fpadonem non effe morbofum dixerit Vlpian. *in l.idem.* §. *Caton. D.de ædil. edict.* fed tamen nonnumquam ad curandam herniam fectis fpermaticæ venæ funt intercifæ, adeoque periculofa foret fponfæ experientia; notus quamuis hîc fuerit miles cui fclopeto abrafus fuit tefticulus in famofo duello Lackerbetiano, qui ex vxore tamen pòft plures adhuc proles habuit.

Sed & defiit moribus duplæ ftipulatio, nimium ex vfurario fœnore redolens. fed emptori, cui res euicta eft, fufficit reftitutio pretij, fumptuumque, & damnorum. quæ indemnitas tota præftatur, nec reftrictam vmquam vidi per moderamen *legis vnic. C. de fent. quæ pro eo quòd inter.* v. g. venditus eft reditus, is poft annos multos euincitur, præftabuntur canones & quidquid emptori abeft, etiamfi duplum excedant.

§. *De Cambiis.*

SVbtiliùs mercatorum praxis commentata eft, quàm veterum legum fimplicitas fanxerit. Iure tamen & praxi funt permiffa. fiquidem Edictum 4. *Mart.* 1551. quod inhibet fub pœna confifcationis corporis & bonorum, ne quis in pofterum cambia contrahat Lugduni foluenda, feu eò pecuniam traiiciat, feu aliter negotietur; idem nundinas & forum cambiaque transfert in ciuitatem Imperialem Auguftam, eoque probat. Edictum illud belli tempeftas dederat, exinde atque nunc pace reduce Lugdunenfia cambia hactenus frequentantur. Sed tamen de cambiis ficcis, vt vocant, alij Lugdunenfia; Galli *efcomeffes*, vbi re ipfa non numeratur pecunia, latum hîc eft E. 31. *Octob.* 1541. prohibitiuum.

Cambiorum iuftitiam accuratiffimè tractat Leffius *de Iuft. lib. 2. c. 23.* quem virum omni theoriâ Theologicâ inftructiffimum

mum constat ex Louaniensi Vniuersitate ex professo Antuerpiam venisse, vt cum subtilissimis mercatoribus conferret, de cambiorumque praxi instructus æquitatem dissertando excuteret. Eam proponit *d. 5.* defendit quantum ex communi timoratorum virorum vsu licita habetur *d. 6.* & quæ circa eam praxim occurrunt, quatenus liceant, examinat: etiam attentâ Constitutione Pij V. *de Cambiis*, *d. 7.8.9.10.11.* Sed Grotius *lib. 3. p. 13. Isagoges Iur. Holland.* forensem vsum exequitur, vt non is tantùm cui litteræ cambij diriguntur possit nummos, qui iubentur, numerare; sed quiuis alter, qui litteras voluerit, vt loquũtur, honorare: & accepta apocha litteris inscripti, iubentem exinde conuenire. vt cui litteræ offeruntur teneatur eas acceptare soluendas, aut reiicere. vt teneatur institor litteras cambij acceptare scriptas ab eo, quem rebus suis agendi, cum cambiendi facultate præposuit, vt qui litteras acceptauit, veniente die teneatur soluere, saltem in Iure conuentus probatâ acceptatione per prouisionem sub cautione: vt eâ conuentione acceptantis non obstante, agi possit aduersus principalem litterarum scriptorem, alterutroque soluente alter liberetur. vt ante diem numeratio fieri non debeat, alioquin periculum ex mutatione fortunarum campsarij numeranti incumbat. atque è contrariò si die veniente non numeret, damnum eidem, atque id quod interest immineat: vt campsarius litteris cambij quamuis acceptatis, non solutis, possit renuntiare, idque acceptanti indicare, nisi acceptans in pecuniam ius aliquod habeat, & *l. 3. p. 45.* vt si recusentur litteræ, campsarius protestari debeat; actaque infra triduum conficere, si die veniente non soluantur, infra octiduum, aliúdve breue tempus: alioquin campsorem posteà conuenire non possit. si porrò alter apertè solutionem neget, latitet, aut non sit soluendo, mox ea debeat præstare: saltem infra triduum. sed neque cum eo pacisci possit, sed solutionem tantùm vrgere, litterasque cambij remittere, & quàm primùm campsorem certiorem reddere. sed & possit campsarius, si res campsoris in deterius vergant, cautio-

cautionem à campsore exigere super sorte, & sumptibus cambij & recambij in casum, quo difficultas fiat in solutione. vt per acceptationem tertij non liberetur campsor, sed campsarius in eum casibus quibus suprà agat. & nihilominùs etiam ad acceptantem regrediatur; exhibitis litteris cambij non solutis. Sed nullibi hæc materia aliæque mercatoriæ rectiùs proponuntur quàm in nouis Consuetudinibus Antuerpiensibus, quæ ab incude Curiæ breuì prodibunt.

5. *De retractu.*

IVs retractus consuetudinarium est, passim ferè receptum; etsi non vbique eodem modo. & quamuis dissonet illud à Iure Iustinianæo, *l. durum. C. de contrah. empt.* habet tamen affinitatem cum *l. si in emptione. D. de Minor.* vbi minor restituitur qui se passus est superari in licitando, venditâ re quæ maiorum fuit. & quidem fluxit à Iure Hebræorum, *Leuit. c. 25.* & Constitutione Cæsaris Romani de Iure protomiseos, apud Hermonop. *l. 3. tit. 3.* & Frederici, apud Cuiac. *lib. ipsius 5. de feudis.* & à Iure Canonico satis probatur in *c. constitutus. x. de in integr. rest.* & verò per consuetudinem ferè generalem nunc instar Iuris communis habetur. atque in Brabantia quidem ex tabulis Ioannis Ducis an. 1312. lex patria est, adeoque interpretationem ibi, vt Ius commune, non locale statutum recipere debet. Et competit ratione sanguinis, vt etiam filio hæredi non denegetur. neque enim oppugnat factum defuncti, sed laudat: ex eoque ius retractus vt fundo & fonte deducit, eoque & præstat illud, nisi quatenus beneficio Iuris consuetudinarij in eum transfertur venditio, vt dolo facere censeretur emptor, si tradi sibi peteret, quod mox restituere eum oporteret. vt iudicatum Mechliniç arresto Curiæ refert Christin. *vol. 1. dec. 230.* sed neque hçres semper prçstat defuncti factum; siquidem tunc minimè cùm defunctus etiam expressâ voluntate beneficio aliquo Iuris eum priuat. eadem Curia apud Christin. *vol. 1. d. 270.*

P Porrò

Porrò est E. *12. Iulij* 1611. *ar.* 37. constitutum, vt generatim, & vbicumque Retractus habet locum, intentetur intra annum, à die inuestituræ in contractibus voluntariis; decreti, in subhastationibus Iudiciariis. vt illudque tempus currat aduersus omnes absentes, minores, maiores, cuiuscumque qualitatis; inhibitâ aduersus eum lapsum restitutione. quâ tamen generali clausulâ non existimem derogatum specialibus locorum legibus in contrarium. videtur tamen derogatum *d. c. constitutus. x. de rest. in integ.* quod minoribus concedit in integrum restitutionem ad retractum.

Super his E. *20. April.* 1616. data interpretatio quòd retractus gentilitius ex 37. *ar. Edict.* 1611. non faciente mentionem proclamationum, post annum ab inuestitura, vel decreto præscriptus sit. quamuis consuetudinariæ proclamationes non doceantur factæ: sed sicubi iis factis, aut non factis consuetudo breuius tempus retractus introduxerit, edictum consuetudini nihil derogauerit. Vt ex tabulis legum Brabantiæ in *Maijo* 1312. allodia, feuda, fundi venditi in Ecclesiis post Missas Dominicas publicantur ad tres quindenas: & qui exinde ante inuestituram non venerit, ius retractus non habet: nisi extra prouinciam fuerit, aut legitimam necessitatem passus. particularibus tamen plerorumque Brabantiæ etiam locorum consuetudinibus tempus annale datur.

Ius retractus in feudis domino & agnatis competit, sed in concursu his præ illo. *l. 2. feud. tit.* 19. §. *porrò scire.* vt retractum bonorum feudalium E. 6. *Nou.* 1520. domino feudali permittit soluto eodem pretio, vt dominio suo applicare possit, saluâ consanguineorum prærogatiuâ. Mores ferè retractum generatim in immobili patrimonio, sed in rebus recèns acquisitis non vbique receperunt. sed tabulis legum Brabantiæ *anni* 1312. immobilia indistinctè videntur retractui subiecta.

De

5. *De reditibus, & eorum luitione.*

REditu um pecuniâ emptorum existimatio diu cum vsuræ nota pugnauit, sed ab ea vindicata est Constitutionibus Calixti III. Martini V. Pij V. sed prioribus Extrauagantibus magis narrari quàm statui videbatur eos reditus in rebus constitui, quasi fructuum delibationem: sed Pius V. demum reditus rebus non impositos improbauit. non tamen ea Constitutio vbique vsu recepta est, nec in Belgio eam obligare docet Less. *lib. 2. de Iust. c. 22. d.* 13. nec in Gallia Bugnion, *leg. abrog. lib. 6. coll. 69.* vtpote non decisionem Papalem, sed constitutionem politicam. Hactenus siquidem in Belgio & mores & edicta personales reditus agnouerunt, quos defendit Lessius vbi suprà *d.* 4. etiam ad vitam emptoris constitutos, qui rariùs rebus imponuntur, aut hypothecas recipiunt: vt alij quos hæreditarios vocamus, qui personali quidem obligatione debentur, sed in securitatem hypothecam recipiunt: quâ chasmate pereunte persona venditoris & hæres tenetur; venditâ tamen priùs conuenitur possessor passim ferè per mores.

Sanè Constitutio Pij V. etiam omnes reditus pecuniâ emptos eâdem semper vult esse redimibiles. non tamen cum iure naturæ pugnat conuentio vt sint irredimibiles quin nec cum ea constitutione si tanto grauior sors soluatur quanti iustè æstimetur onus negatæ redemptionis. Less. vbi sup. *d. 5. &* 12. *n.* 92. post Nauar. vt plura insuper sunt in eadem Constitutione, quæ vt diximus cum natura iustarum conuentionum Iure non pugnent, sed positiuo dumtaxat, quod regiminis Ecclesiæ ratio, periculi vsurariorum contractuum & æquitatis suasit. quod liquidum est ex ipsis conditionibus, sub quibus dumtaxat & non aliis census emi Constitutio mandat: nam priores quidem Pontifices magis responderunt super iustitia contractuum initorum quàm contrahendi formulam præscripserunt: Pius autem

tem eas conditiones ita requisiuit, vt contrarios contractus fœneratitios habendos decreuerit. vtique iudicio fori externi, non autem quòd omnes Iure naturæ sint vsurarij. nam Conditiones ad 14. reducuntur; videlicet, 1. vt census constituatur super re immobili, frugiferâ, certis finibus designatâ. 2. numerato tempore contractus coram notario & testibus iusto pretio 3. nulla fiat anticipata solutio, nec alia vmquam nisi pro rata lapsi temporis. 4. non obligetur venditor ad casus fortuitos, sed census re peremptâ extinguatur. 5. nullo pacto venditori alienandæ rei libertas restringatur, aut emptori ad laudemia obligetur. 6. Dominus rem venditurus indicet censuario conditiones, & pretium, ad mensem eum exspectet, & aliis præferat. 7. nullo pacto venditor ob moram censuario obligetur ad pœnam commissi interesse, aut expensas. 8. census ex pensionibus non augeatur. 9. onera extrinseca venditori aut emptori incumbentia, v. g. fisci, aut Domini decima, vel quinquagesima in alterum pacto non transferatur. 10. re pereunte in totum vel in partem pro rata pereat census. 11. semper census possit redimi pretio, quo est emptus. vbi tamen non exigitur vt per partes possit redimi, vt poterant reditus, de quibus Calixtus III. & Martinus V. erant consulti. 12. vt venditor redempturus ante bimestre emptorem præmoneat, qui exinde intra annum redimere cogi potest, post annum non potest. 13. vt emptor venditorem numquam aliàs ad redemptionem cogere possit. 14. vt pretium census semel constitutum augeri vel minui non possit, ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut aliud accidens, quo ipse venditor grauetur. Cōditiones hæ sanè seipsas produnt, quòd non ex Iure naturæ omnes, sed magnâ sui parte ex voluntate legislatoris sint natæ. vt latiùs apud Less. *d. c. 22.* & rectè *d. 12.* is statuit Iure naturæ in censibus non aliud requiri, quàm vt sit æqualitas secundùm æstimationem inter censum & pretium; & si aliqua pacta accesserint præter contractus naturam, ea prudentis arbitrio compensentur. Sed & id notandum est, eam Constitutionem tantùm agere de

de censibus pecuniâ emptis, alio titulo constitutos non attingere.

Et quoniam redituum naturam, ad emptionem venditionemque omnes referunt; sequitur naturâ quidem suâ habendos fuisse pro irredimibilibus, nisi ex pactis constitutionibusque aliter esset prouisum. siquidem pactum resolutiuum emptionis per constitutiones apud nos inesse censetur. & contrarium pactum improbatur E. *21. Februar.* 1528. si modò pecuniâ emptus sit reditus, non si donatâ re, vel venditâ reseruatus, aut perpetuâ locatione constitutus, similíve titulo citra pecuniam numeratam.

Quo eodem E. quia domus, molæ, fundi irredimibilibus reditibus grauati non reparabantur, & inculti deserebantur; priuato publicoque incommodo vitando decretum ad instantiam quatuor Membrorum Flandriæ, ne in posterum reditus irredimibiles in Comitatu Flandriæ vendi, hypothecaríve possint; & antehac constituti si vendantur intra annum denuntiationis hypothecæ domini eodem pretio soluto exonerare se possint, saluo iure retractus gentilitij, ac portionarij secundùm mores.

Sicut & omnes reditus irredimibiles hypothecati intra vrbes priuilegiatas redimi possunt pretio & nummis quibus empti fuerint, si de quantitate & qualitate constiterit; alioquin constituti post annum 1472. nummo vigesimoquinto, antiquiores trigesimo, ad valorem vltimò ante edictum illud taxatum. exceptis reditibus feudalibus, censualibus, fundiariis, dominicis, antiquarum fundationum, diuini cultus, & pauperum; & saluis indultis super alio pretio concessis.

Et in Brabantia Carolus V. 19. *Octob.* 1520. edixit ne feuda grauentur in posterum reditu irredimibili, sed redimibili dumtaxat denario vigesimo, & leuiori. & reditus olim super feudis constituti in diuisionibus hæreditatum, quoties in manum exteram transferentur redimi possint, eo pretio

 quo

quo distrahentur si pretium conuentum non sit, denario 25. alij etiam reditus redimentur solutâ sorte principali quâ olim constituti fuerint: quæ si non apparet, denario etiam 25. currente monetâ. Non tamen huiusmodi reditus familiares, seu ex hærediis diuisis prouenientes, erunt redimibiles, donec in manum exteram transferentur. & in huiusmodi translatione dominus directus potest vti iure retractus, saluo iure consanguinei consuetudinario.

Propter diuersa incommoda quæ oriebantur ex creatione, solutione, & extinctione redituum, visum est Regi prouidere singulis. Itaque E. 5. *Mart.* 1571. *ar.* 1. statuit vt quoad creationem redituum pecuniariorum edicta seu consuetudines rigidè obseruentur; sub pœna quòd si minori pretio constitutus fuerit reditus, censebitur vsurarius, & contractus irritus, & contrahens punibilis.

Quoad reditus pecuniâ emptos in speciebus siligineis, frumentariis, aliorúmve fructuum soluendos, aduersus *l. oleo. C. de vsur.* sed conformiter. Constitutioni Gallicæ *anni* 1565. in posterum ij, vt Reip. noxij, debitoribus nimiùm graues, quoad creditores de vsura suspecti, celebrari prohibentur; sub pœna nullitatis, confiscandæ sortis, & correctionis. Sed in constitutis ante edictum, si ex litteris constitutionis de pretio numerato constet, cessabit in posterum solutio specierum, & dabitur pecunia annua ad ratam nummi decimisexti numeratæ sortis.

Si de quantitate pretij numerati non constet, inquiretur sumptu debitoris quanti in foris venierint species tribus ante ac tribus post creationem annis; reduceturq; sors ad annorum communem summam, & illius nummum decimumsextum pro reditu in posterum soluet debitor: pendente autem inquisitione, soluet conuentas species sub cautione creditoris de restituendo, si quid species sic soluendæ pecuniam annuam determinandam excesserint.

Vbi verò reditus pecuniâ incertæ quantitatis empti, certâ quanti-

quantitate tertiò venditi fuerint, numeratà eàdem quantitate poterit debitor defungi.

Et ne dum debitoribus consulitur, creditoribus iniuriâ damnum detur; inibitur in redemptione ratio valoris intrinseci, atque extrinseci, secundùm quem litteræ produnt pecuniam numeratam, aut alioquin quem præscripserint vltima Principum edicta creationem præcedentia, quibus verisimile est contrahentes se conformasse: sed quoad annuam solutionem seruabuntur edicta, quæ fuerint solutionis tempore.

Sub moderatione autem & reductione non comprehenduntur reditus dominici, canones emphyteutici, censuales, perpetuæ locationes, seu reditus reseruatiui, & antiquarum fundationum, ad pias causas, à fundatoribus suis bonis impositi originaliter, qui relinquuntur in terminis Iuris. vt etiam reditus ex causa familiæ erciscundæ, dotis, doarij, aliáve quàm pecuniæ numeratæ; qui viribus suis & contractuum, & terminis Iuris relinquuntur: etiamsi in tertiam manum deuënerint. saluis etiam priuilegiis, & consuetudinibus, quas aliqua loca redemptioni fauorabiliores habent.

Postmodum 26. *Octob.* 1572. in secreto Concilio pro Clero aduersus Nobiles & Ciuitates Comitatus Namurcensis, latâ sententiâ declaratum est, quòd soli reditus pecuniâ numeratâ constituti clero sint redimibiles, quòdque ad debitorem pecuniæ numeratæ probatio spectet.

Poterit tamen debitor postulare, vt creditor siue clericus siue laicus litteras exhibeat creationis; & creditor id præstare tenebitur, sub iuramento: neque vllâ possessione aut præscriptione se tueri poterit aduersus exhibitionem; nisi de dominicis, aliísve id genus censibus agatur, quibus possessio & patria consuetudo sufficiet, quæ intacta manet.

Atque vt in posterum ritè caueatur, Notarij & quicumque redituum contractus scribunt, numeratam quantitatem disertè

in

in litteris exprimant; ſub pœna nullitatis, & correctionis ſcriptoris.

Declaratque edictum præter expreſſa, nihil ex pactis redituum immutari.

Fraudibus verò creditorum cuiuſcumque generis redituum occurrere volens, decernit ne in poſterum illi poſſint exigere pluſquam trium annorum canones, niſi iuridicè debitores fuerint interpellati, & dilatione petitâ, iterùm ſoluturos ſe conſtituerint. ſed hic articulus vix vſu obtinuit.

Succeſſit exinde E. 25. *Iun.* 1601. ſuper reditibus pecuniariis, ſiue pecuniâ emptis: vt quamuis valdè æquè conſtitutum eſſet E. 5. *Mart.* 1571. vt in luitione redituum, in frumento, ſiligine, aliiſque ſpeciebus ſoluendorum, inſpiceretur etiam valor intrinſecus atque extrinſecus monetæ, qui fuiſſet tempore creationis, quoniam ex interuallo temporum æquâ ferè proportione valor ſpecierum monetarumque mutaretur, idemque ſuo quodam modo videretur militare in pecuniariis reditibus, pecuniâ emptis, & illâ eâdem extinguendis, quòd venditor frugi ea olim fortè fundos comparare potuerit, qui valorem nunc æqualem habent ſorti nunc extinguendæ, ad priſcum monetæ valorem reductæ: tamen ad litium multitudinem, ſententiarumque contrarietatem vitandam; viſum eſt Principibus ſtatuere, vt reditus pecuniâ creati per litteras in forma emptionis, diuiſionis, pignoris, ſeu antichreſis, facultatis redimendi, aliorúmve contractuum, & obligationum creatarum per florenos, libras, francos, ſtuferos, ſolidos, ſimiliaque nomina communiter numerantia, redimi poſſint quocumque genere aureæ argenteæve monetæ ſecundùm edicta vſualis tempore luitionis: tametſi in contractibus ſpecies aureæ argenteæve æſtimatio pretio deſcriptæ ſint, iuxta illius temporis edicta; non habitâ ratione vel aucti poſtmodum vel imminuti valoris: ita vt ſors redimi poſſit currente monetâ, vt eâ annua hactenus facta eſt ſolutio. quod in omni genere librarum Flandricarũ, Artheſienſium, Brabanticarum, Turonenſium,

sium, Parisiensium, Francorum, solidorum obtinebit, & Carolo-florenorum, realium, coronarum, similiumque aureorum, & argenteorum nummorum, quibus vulgò numeratur.

Ceterùm quando reditus, onera, antichreses, hypothecæ, obligationes, constituuntur in certis speciebus aureis & argenteis, Carolinis, coronatis, ducatis, eædemque species numeratæ sunt, sine expressione pretij, aut æstimationis; luitio seu redemptio eorumdem redituum fiet in eisdem speciebus, si reperiantur: sin minùs, in alia moneta; ad valorem, quo illę species æstimatæ erunt per edicta: quæ obtinebunt tempore extinctionis. si tamen in tertiam manum reditus illi currente monetâ deuenerint, lui poterunt monetâ tempore extinctionis currente.

In puris autem mutuis, in solius mutuatarij vtilitatem datis, solutio facienda est in iis nummis & pretio, quod erat tempore mutui, secundùm edicta, aut secundùm quod verè numeratio facta est, ne sua creditori liberalitas sit damnosa.

In depositis autem aut consignatis nummis apud priuatum aut publicum sequestrum, quia contractari illi non possunt, restitutio facienda est in speciebus iisdem in indiuiduo, saltem numero eisdem, pondere, & mensura.

Cùm porrò de titulo non apparet, & an redimibilis sit reditus, quæritur; inter priuatos pro tali habendum facilè statui potest: non æquè in iis, qui debentur piis causis. Christin. *vol.* 1. *d.* 303. & nos Deo dante dicemus in Consultationibus canonicis.

Siquidem statuimus omnes & solos reditus pecuniâ emptos esse redimibiles, non aliis contractibus constitutos. Couarr. *var. res. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 5. *l. si Stichus.* §. *stipulatio. de verb. oblig.* ibi, *stipulatio annua vna est & perpetua. l. veteres. C. de contrah. stipul. l. si pactum. D. de probation.* & ratio est, quia omnes contractus firmi sunt naturâ; retractationem aut resolutionem non habent, nisi ex pacto. nulla siquidem lege, quod venditum est reuendi præcipitur, quod in emphyteusim, perpetuam locationem, hæreditatis diuisionem, seu quemuis alium contractum datum per-

petuò cum iuris seu dominij translatione restitui præcipitur: soli reditus pecuniâ empti per Constitutiones Pontificum & edicta Principum redimendi facultatem annexam obtinent. Igitur si priuatus reditum possideat, ex empto possidere creditur; quoniam is frequentissimus est inter priuatos contractus. Ecclesia autem testamento, dono, legato frequentissimè solet acquirere: is titulus interuenisse ergo præsumetur. Euerard. *in loc. commun. acciden.* sic in contractibus cùm non liquet præsumitur interuenisse qui solet, *l. certi condictio. §. si nummos. D. si certum petatur.* ideoque transfertur onus probandi in aduersarium. Euerard. vbi supra *d. l. si pactum. D. de probation.* vbi id actum intelligitur quòd plerumque solet, & ideò contra regulam petitor, non qui excipit, probare debet. vnde fit vt ita sæpius à diuersis etiam summis tribunalibus sit iudicatum: sed numquam solemniùs quàm vt diximus à Concilio priuato *26. Octob.* 1573. pro clero Namurcensi, interpretatione edicti *26. Octob.* 1571. postulante aduersus Nobilitatem & ciuitates eiusdem Comitatus, omnes & solos reditus pecuniâ emptos esse redimibiles, & ad debitorem spectare probationem pecuniæ numeratæ. Sanè ratio *legis annua 20. D. de annuis legat.* quamuis in priuatis legata sint temporalia, data sacerdoti seu ministerio templi facit esse perpetua: vtque coniectura voluntatis & finis testatoris: ob quæ idem responsum est *in l. 23. 24. 26. ibidem.*

Ad rationem reditus pertinet antichresis, per quam in vicem interusurij rei oppignoratæ fructus assignantur. & E. 21. *Ian:* 1621. pro territorio Teneramundano, extenso litteris Regiis *3. Iulij* 1623. ad territorium Wasianum & Bruxell. eodem die & anno declaratum est, luitionem perpetuò fieri posse, non in pactum deduci, ne ante certum tempus possit: deberi tamen ex ea directo domino nummum decimum, vbi is in alia alienatione aut reditus hypohecatione deberetur; si tamen reditus per chirographum aut voluntariam condemnationem constitutus fuerit, cum pacto sufficientis hypothecæ assignandæ, aut alioquin redemptionis intra triennium facien-

faciendæ: permittitur in pignus, vt vocant ſtabile, id eſt, quod in vſuras non currat, fundos dari in triennium, quin etiam in aliud triennium renouari ſine ſolutione decimi nummi. Si porrò vlteriùs prorogetur reditus, & creditor ſtabili illo pignore ſit contentus, amittet illud ſuum nomen, cenſebiturque aſſignatio hypothecaria, ſubiecta oneribus decimi nummi, &c.

Porrò ex iis quæ citauimus edictis aliiſque pridem latis, (quale & in Gallia *1601*. cùm antè ibi grauiores permitterentur) ſatis conſtat legitimum reditum hìc conſtitui nummo decimo ſexto, non minori: niſi Princeps ſpeciatim indulſerit. vt E. 1. *April.* 1543. cùm Ordines Flandriæ in ſumptus belli quadringenta millia coronatarum addixiſſent, eaque pecunia non poſſet corrogari. permiſſum iis fuit vt in reditus ſumere poſſent, excedentes ordinariam præſtationem, adeoque vſque ad ratam denarij duodecimi, datâ creditoribus ſecuritate numquam eos reditus vſuræ accuſandos: cum derogatione iuris, edictorum, conſuetudinum contrariarum, pro ea vice & neceſſitate. cum mandato etiam, vt omnes adminiſtratores publici, priuatique pupillorum, hoſpitalium, ſi quas pecunias haberent, in reditum locandas, ad Ordines deferrent, ſub pœna, quòd alioquin ipſi iis, ad quos illæ ſpectarent, de ſuo ſupplere tenerentur, quanti alibi minoris emiſſent; atque inſuper mulctæ nomine quintum nummum ſortis ſoluere fiſco, delatori & officiario per tertias.

Sed nec eo quidem nummo decimo ſexto ſecurè reditus emuntur à ciuitatibus & communitatibus. quippe quæ iure minorum cenſentur in mutuo, & ſimilibus obligationibus contrahendis. Quare E. *12. May* 1591. declaratum per Regem, reditus ſine indulto Regio conſtitutos à ciuitatibus ſeu communitatibus non ſubſiſtere: ſed ſi cauſæ legitimæ ſubſint, illis ritè probatis, creditores debitoreſque indultum illud poſtulare debere.

Q 2 Offert

Offert se hîc & E. *vlt. Octob*. 1587. quod etsi temporaneum fuerit, spereturque Deo benè iuuante locum deinceps ex integro non habiturum; atque illud ipsum futuros casus ad terminos Juris arbitriumque Iudicis remittat; tamen propter suam æquitatem, quodque nonnumquam tales se casus offerant, qui in facto alicui edicti membro conformentur, similique ferè iure etiamnum Iudicum arbitrio soleant definiri; non inutile operæ pretium censeri potest, si & hîc illius edicti substantiam referamus.

Vastatis igitur ciuili bello prouinciis Belgicis Rex miseris debitoribus succurrit: primò vt quorum possessiones inutiles dominis fuerunt, aduersus eos eorúmve bona procedi non possit per arresta, aut executiones; sed creditores teneantur adire per libellum supplicem Concilia Regia, seu alios Iudices idoneos; vbi debitores euocati, quod videbitur, respondeant: nisi latitent aut suspecti sint de fuga; qui detineri possint vsque ad præstitam cautionem. Allegantibus debitoribus damna & possessionum vastationes verisimiles, dabantur Commissarij, qui partes remissione aliquâ aut dilatione debiti redderent concordes. si minùs id obtentum erat, summariè instituebatur liticula super veritate damnorum; atque interim creditorum arresta & executiones cessabant. Id tamen quod auditis partibus per prouisionem seu aliàs decernebatur, non obstante appellatione executioni mandabatur. Restituit Rex in integrum omnes, quorum damno res à creditoribus subhastatæ erant, dummodò sumptus & lapsos canones ad moderationem Iudicis soluerent, & si in tertiam manum deuenerant cum graui læsione, poterant litteras restitutionis obtinere, quatenus iustum æquumque videretur. Quibuscumque reditibus non suberat personalis obligatio, & hypotheca inutilis fuerat, dabatur remissio omnium annorum, quibus seri, meti, aut habitari non potuerat. Si tamen exigui sint canones, vt potiùs in recognitionem domi-

dominij deberi censeantur, inspecto valore pacifici temporis. quàm mercedem perpetuæ, condictionis; non dabatur remissio, sed duplicabatur canon vsque ad integritatem solutionis: & debitor designare tenebatur omnes hypothecæ terminos, quò clariùs fructuum ratio iniretur. spectabaturque valor specierum debitarum, communis per annos anteà decem; vetabaturque exigi rigidus iniquorum temporum. Præstationes quæ rationem mercedis annuæ referebant remittebantur, pro ratione damni, quod sumptu debitoris probaretur. Ad hoc genus spectare censentur præstationes quæ septimam partem prouentuum excederent; ad prius, quæ non excederent. Hæc de reditibus, iuribus, præstationibus annuis. Quoad verò mercedes rerum conductarum, integræ remittebantur, vbi nihil fructuum haberi potuerat: pro parte, vbi pars fructuum obuenit, parte conductor frustratus est, secundùm pleniores distinctiones Iuris. Quod verò spectat ad reditus cuiuscumque generis, quibus subest personalis obligatio, rigore cuius debitores, quorum bona iacent prostrata, exigi tamen possent; nihilominus quòd eâ ratione multi afflicti pessum dari possent, & damna diuisa minùs lædant, si quisque de publico malo aliquid sentiat, præsertim in reditibus pecuniâ emptis, naturâ suâ satis odiosis, qui eapropter realibus personales fauorabiliores censeri non debeant, ex æquo & bono edixit Rex: vt vbi notabilis iactura debitoribus obuenerit, dilatio congrua tribuatur: vbi omnibus prouentibus exciderint, remissio fiat ad ratam temporis & proportionem iacturarum: habitâ etiam ratione status conditionísve debitorum; quibus ipsa remissio proficiat, & solis, non autem tertiis. Quoad Status, ciuitates, collegia, communitates Ecclesiasticas & sæculares, quamprimùm perspiciant diligenter, quâ ratione iustis debitoribus satisfaciant: ne tamen indebitè præcipitentur, exponent rerum suarum statum Regi rationesque conceptas creditoribus faciendi satis, & pro æquitate prouidebitur. Mandat interim Rex, vt omnibus ex æquo debitoribus soluant:

si quibus plus solutum est, tantisper in posterum careant, donec ij quibus minus est solutum, ad eamdem proportionem peruenerint: sub pœna, quòd secùs soluta tantisper ex rationibus reddendis delebuntur; excidentque ab edicti gratia: præterquam quòd fundationibus, hospitalibus, miserabilibus personis pro sua qualitate & paupertate prælatio aliqua possit dari. Quoniam verò ex iis qui partes Regias fuerant secuti Rex multis debita. & canones ex bonis illorum debitos iis, qui ab aduersis partibus stabant, dono dederat; mandat eam voluntatem seruari; & conciliationes ac restitutiones ciuitatum tantùm porrigi ad secuta tempora, nisi gratia pleniùs fuerit concessa. Et canones lapsos iis annis quibus debitores partes Regias secuti, bonis suis erant eiecti, vetat Rex exigi; saluo regressu aduersus eos qui prouentus receperunt, saluis etiam tractatibus Conciliationum. quæ obtinent etiam respectu domanij Regij; nec non obligationum chirographariarum, per quas mercatoribus interusuria sunt promissa. Et quoniam plura ab Ordinibus prouinciarum debita sunt contracta, quibus singuli obligentur in solidum, reiecto beneficio diuisionis, & ordinis, ne dum rebelles conueniri non possent, conciliati nimiùm, grauentur; vetitum ne qui conueniantur supra debitam portionem, legitimè contractorum debitorum. quam aliqui perperàm ne nunc quidem soluunt. ne verò gratia aliquos reddat negligentiores, edictum porrigitur solùm ad eos, qui habitare, serere, metere non potuerunt, viciniâ totâ similiter desertâ, aut afflictâ. neque ad tempora futura canonesquè cessuros, quorum remissiones, moderationes dilationes, remissæ sunt ad arbitrium Iudicis, formandum ex dictamine Iuris, causarum circumstantiis, facultate colendi, fructusque percipiendi. Reseruatâ Regi facultate interpretandi, si qua obscuritas offerri visa fuerit, ob quam Iudicibus necessarium videbitur illum consulere. Hinc nata consultatio à Concilio Flandriæ proposita, an debitoribus damna passis, qui iam ante edicti publicationem creditoribus soluerant, ex edicto

cto daretur condictio; & quid de fisco censendum foret, qui priuatis successerat? ad eamque responsum est 14. *Maij* 1588. non admittendam repetitionem ab eo qui suum recepit, validâ obligatione debitum, nisi fortè ex *artic.* 4. dum creditor possidet hypothecam, quam inito calculo, remissione, & moderatione factâ restituere iubetur. Sed & eodem articulo inuenitur ex inormi læsione dari aduersus tertium in integrum restitutionem, quæ omnibus expensis, vili distractione, aliisque circumstantiis, saltem ex clausula generali, *si qua mihi iusta causa videbitur*, obtingere posset; fiscum verò cur iure auctorum, quibus successit, actiuè & passiuè vti non possit ac debeat rationem non videri. Et iterùm 6. *Maij* 1691. eidem Concilio Flandriæ ad casum, quo quis reditum promisit datâ hypothecâ, quæ postmodum hostiliter inundata est, nec aliter disertè in litteris obligata persona, vrgente creditore eam nasci ex contractu emptionis & venditionis reditus, nec tolli sublatâ hypothecâ, debitore edicti gratiam implorante, eamque opportunam esse, quamdiu infrugifera esset hypotheca; responsum per edictum iuri scripto, non esse derogatum: neque illud extendendum extra terminos; edictum loqui *ar.* 10. de debitoribus quamuis personaliter obligatis, ab iniuria belli valdè afflictis: considerandas omnes circumstantias, quæ nonnumquam non minùs afflictis alibi creditoribus, quàm debitoribus fauorem conciliant.

De hæreditate vel actione venditâ.

NOmina nec in mobilibus sunt, nec immobilibus; sed, si actum est de tota rerum substantia, voluntas præ scriptura valet; & omne patrimonium comprehensum videbitur: nominaque, & actiones ad mobilia directæ pro mobilibus; ad immobilia pro immobilibus habebuntur: vt eam ferè praxim mores receperunt. Bus. *de redit. l.* 1. *c.* 3. Et dum annui reditus inter immobilia referuntur à *Clem. exiui.* §. *cumque*

quæ annui. de verb. signif. l. Iub. C. de sacros. Eccl. l. hac edicta. C. de secund. nupt. de reseruatiuis quidem & irredimibilibus nihil est dubitandum. de redimibilibus autem tamquam ad nutum volatilibus quæstio moueri poterit: & decisum memini à Concilio Brabantiæ rebus impositos, siue hypothecatos pro immobilibus habendos; non hypothecatos autem pro mobilibus, sed agebatur de diuisione inter hæredes consanguineos & Ecclesiam; vbi ea in immobilia succedere non poterat: alioquin inter capaces aut respectu alio, perpetuus reditus quamuis non hypothecatus, non mox pro mobili haberi, non alienari potest, aut consumi à Prælato: itaque rursum intentio contrahentium, statuentium, vsusque regionis, ac negotium de quo agitur, attendendum erit; & suæ cuique consuetudines, quæ sæpiùs hac in re sunt variæ. Busius *d. c. 3. n. 12.*

Nomina quoad actiones vtiles tantùm cedi possunt. *l. penult. & tot. tit. de hæred. vel act. vend.* Bus. *ad l. 3. D. pro socio.* putat moribus Transisulaniæ tam nomina quàm bona communicari per matrimonium, & sublatum titulum *C. ne vxor pro marit.* nisi soluto matrimonio vterque soluendo sit, aut pactis dotalibus aliter conuentum: alioquin enim coniuges pro alterutrius debito tenentur. nisi quòd Antuerpiæ mulier pro dote, aliis personalibus creditoribus præferatur; sed rebus in victum traditis, aliisque nonnullis ex causis & ipsa obligetur.

Venditor nominis non tenetur præstare debitorem locupletem, *l. 4. D. hæred. vel. act.* adeò vt si debitor paulò pòst cedat bonis, citra dolum *l. 74. §. fin.* cessionario non prosit.

Actio hypothecaria personalis in solidum datur aduersus possessorem. *l. 1. & 2. C. de hæred. action. l. 2. C. si vn. ex plur. cred.* quod & mores receperunt in annuis reditibus, qui ex re præstantur: qui ex constitutionibus Pontificiis, & Principalibus, atque moribus ipsis ius quoddam proprietati æquè simile atque hypothecæ continent. Vnde Mudæus post Boerium hodierno vsu hypothecariam in reditibus quamdam principalem actionem censeri tradit, *tit. de pignor. & hypoth. n. 2.* ita vt partialis

tialis hypothecæ possessor ad diuisionem prouocare non possit. sed de propria reditus natura vide Busium *de Redit. l.1.c.2.*

Moribus non placuit *lex, per diuersas.* & *l.ab Anast.C.mandati.* sed potest cessionarius agere ad solidum debitum supra pretiũ à se numeratum: & quamuis pars ex empto, pars ex donato habeatur, multis tamen locis obtinuit, vt intra annum per modũ retractus venditum nomen eodem pretio à debitore numerato extinguatur. quod & in reditibus, similibusque iuribus receptũ est; etiam alicubi, vt perpetuò sic liceat redimere, quando autem liceat ex E.5. *Martij* 1571. sup. diximus *tit.de Emt.§.de Redit.*

De commerciis.

IAm ante plura sæcula tanta in ditionibus Belgicis commerciorum fuit exundantia, vt nullus orbis vniuersi sit angulus, qui potuerit exæquari. testes Brugæ. vbi iam sub Philippo Pulchro Rege Franciæ, Regina vxor tantas opes, luxum & pompam vidit, atque inuidit, vt indignabunda sit questa, se non solam in regno Reginam, sed in solis Brugis trecentas reginas vidisse. Quis exterus credat dum supputat *in Antuerpia* Scribanius, dum florida staret illa, quotannis in externis mercimoniis absumptos quinquaginta auri milliones, præter ea quæ intra vrbem atque Belgium diffunderentur? ac præter pecuniariam negotiationem artesque mechanicas, quas longo ordine prosequitur. Sed & in Louanio Lipsius pannorum immensam quantitatem, innumerabilem textorum numerum refert. Et in Mechlinia Gramaius testatur an. 1370. fuisse in oppido textrinas ter mille ducentas; *Non venientibus,* inquit, *in numerum lanariis, panni tonsoribus, phrygionibus, linteonibus, culcitrariis, pileonibus, Zonariis.* & supputant periti in singulas textrinas numerandas personas subsidiarias duodecim: adeoque numerus 3200. duodecies ductus crescit ad 38400. magnum numerum vnius artis in vna ciuitate; neque prima. alibi alia negotiatio & opificia viguerunt, in toto ferè Belgio, vt

quæque ciuitas in aliquo præcelleret, vsque ad infelicia hæc bellorum ciuilium tempora: quibus per 70. nunc annos vigentibus, mirum tamen est, quantū adhuc commerciorum artiumque superſit: atque præſertim apud Batauos, ipſosque Amſterodamenſes. de cuius vrbis mercimoniis, quæ ſcribuntur non facilè quis crediderit, qui non viderit. Hanc ob cauſam diligenter ſemper à Principibus noſtris curatum eſt, vt merces probæ eſſent, artes probè exercerentur, ſinguliſque ſuæ leges priuilegiaque priuatim data. ſed & ſæpiùs cùm res exigerent, conſtitutiones publicæ latæ ſunt, quibus incorruptæ merces, arteſque ſeruarentur, vigerent, atque floreſcerent.

§. *De annona.*

ANte omnia cura annonæ ſemper fuit: eam in rem numeroſa edicta prodierunt. *9. Maij 1515.* 19. *Auguſt.* 1522. 24. *Mart.* 1523. 18. *Octob.* 1527. 23. *Sept.* 1531. 14. *Maij* 1532. 8. *Octob.* 1535. 26. *Nou.* 1544. 5. *Octob.* 1545. 22. *Maij* 1546. *vlt. Iunij* 1546. 6. *Dec.* 1549. 12. *Sep.* 1551. 24. *Oct.* 1551. 13. *Ian.* 1552. 14. *Nou.* 1623. Ad vitandam annonæ caritatem, ac flagellationem, vetitum ne frumenta efferantur cuiuſcumque generis: nemo ruri aut domi comparet; ſed ad conſuetas nundinas venalia deferantur: contractus ſecus facti irriti ſint. Ordines in finibus ſtationarios habeant, qui ſecretò inquirant, & ſiſtant: liceat tamen ad exercitum Principis deferre, & cuique quantum ſibi opus erit in vſus domeſticos emere. grana aliunde allata per auerſionem extra forum emi poſſint, ſed emptores ordinationi ſe conformare teneantur. nemo in nundinis ſupra neceſſitatem ſuæ familiæ, emere poſſit: nemo vt extra prouincias afferat, aut intra eas alibi vendat; contractus alioquin irriti ſint. ruſtici ipſi ad forum annonas venales deferāt. annonarum mercatores nec in foro emere poſſint, niſi poſt ſonum campanæ, horâ decimâ antemeridiana æſtiuo tempore, vndecimâ hiberno pulſatæ: vt incolæ interim neceſſaria ſibi comparent opportuniùs. licet tamen

tamen rurſus cuique in vſus ſuos rure emere quanto quis opus habet, & fruges in ſuo aut conducto natas quocumque intra Prouincias transferre, & diſtrahere. ad certum tempus panis & cereuiſiæ coctores in rem ſuam extra nundinas emere poſſint, in vrbibus, quæ habent ius ſtapulæ, extra forum emere poſſunt: qui emunt vt alibi vendant in his ditionibus, ſi nauigio efferũt, cautionem dent ad ratam valoris empti frumenti de eo alibi vendendo: teneantur etiam referre teſtimonium Magiſtratus vbi vendiderint, & antequam efferant deſignent locum, quò tranſlaturi ſunt. emptio granorum adhuc creſcentium ſit irrita; ſaluâ pretij fortè ſoluti reſtitutione intra menſem. quod idem obtineat in granis iam in horrea reconditis. ſic tamen vt poſſit tantum ex iis tradi, quantum vſus familiæ emptoris requirit. Omnes priuati poſſint apprehendere efferentes, & tradere loci officiario. omnes Magiſtratus & officiarij iurent obſeruationem ordinationis. Emptio fiat ad nundinas ſolitas, dies, & horas, quæ ſint à decima matutina vſque ad primam pomeridianam, poſt quam qui in alias partes harum ditionum efferre volent, emere poſſint; ſed empta vſque ad horam ſecundam in foro relinquere teneantur; vt incolæ tantum ad ratam conuenti pretij ſibi exinde ſumere poſſint, quanto opus habeant pro familia in tres menſes. qui emunt ad efferendum in alias harum ditionum, emere non poſſint niſi grana, quæ reipſa in forum delata ſint, vel totâ quantitate, vel parte, quæ reliqui ſpecimen præbeat; ſub pœna nullitatis. & pœnæ contrauentorum variantur, & augentur. Ad euitandam caritatem rure panis albus non coquatur; hoſpites non potitent; ſed viatores neceſſarium edulium & potum tantùm habeant. cereuiſia non coquatur niſi infra certum valorem, niſi in priuatum cuiuſque vſum in tres menſes. ad nuptias vocari non poſſint vltra perſonas viginti. coctores cereuiſiæ venalis hordeo ac auenâ ſimilibuſque granis tantùm vtantur, non frumento aut ſiligine, pretium cereuiſiæ Magiſtratus ponat; ſingulorum ædes & granaria viſitet: quod cuique ſupereſt, ſupra

necessitatem familiæ vsque ad Septembrem cogatur vendere, pretio à Magistratu statuendo. nemo ab his ordinationibus vllo priuilegio sit exemptus. aliàs per pœnas procedatur tamquam contra rebelles, & contemptores publicæ salutis. Nulla Concilia quamuis suprema executiones retardent: procedatur summariè sine figura Judicij; & præuentioni fiat locus: & præuenti ob negligentiam Iudices pœnas ipsi luant: ordinatio locum habeat in granis, etiam huc delatis per mare Balticum ex prouinciis secus illud sitis. nullus etiam cõmeatus efferatur extra has ditiones, nisi quòd naucleri tantum sumere possint, quanto itineri maritimo opus erit. vt spicæ non colligantur, nisi postquã fruges in manipulos erunt collectæ: vt coloni in agros suos demessos animalia nõ immittant, nisi postquam pauperes viginti quatuor horas habuerint post auectas fruges colligendis spicis. vt nemo fruges scindat, metat, auferat, aut quocumque modo furetur, factâ fide per duos testes sine figura Iudicij, vt fur puniatur, qui secus faxit: cuilibet priuato liceat tales apprehendere, & alter alteri suppetias ferre teneatur. liceat dominis pagorum & officiariis aliquos designare, qui inuigilent, & in his rebus delatores sint, & testes. liceat officiariis singulorum ædes visitare, & qui agros non colunt, & supra quàm apparenter collegerint, frumentum habent, inquirere, interrogare; & si ordinationi contrauentum sit, punire; si competentes Iudices sint: sin minùs, remittere ad competentem. publicetur hæc ordinatio non in maioribus & consuetis tantùm locis, sed singulis pagis, parochiis, & vicis. Atque hæc quidem pleraque edicta lata sunt leuandæ annonæ caritati, aut præueniendæ: quorum etiam quædam capita non seruantur, dum fames, aut granis caritas non vrget, quali tempore ferebantur. Ceterùm alia sunt quibus belli tempore inhibita, frumenti ad hostes auectio capite sancitur. de quibus *tit. prox. Quæ res exportari.* & *tit. De re milit.*

Et ne pro lubitu quisque quanti velit annonam vendat, eaque supra rationem increscat; E. 7. *Octob.* 1531. de consilio Ordi-

Ordinum generalium iniunctum est Magistratibus, vt cùm res exiget illius taxam statuant à Curia approbandam. sed quoniam nulla in re pretia mensurarumque genera magis variantur, rarò huiusmodi taxa vsurpatur, præterquam in œnopoliis: minùs ob eam ad aulam recurri solet.

§. *De panno.*

VT panni mercatura, textoria, totaque lanificij ratio restituatur; E. 8. *April.* 1494. lana & pannus Anglicus prohibetur ne inferatur; illatus intra paucos dies efferatur; onera à nautis, aurigis non recipiantur, nisi affirmatum fuerit, lanam & pannum abesse; sub pœnis grauibus: non obstante saluo conductu, qui eò non porrigitur. ordinatio registris vrbium inscribatur.

Edicto tamen 17. *Nou.* 1497. excipiuntur minorum gentium panni, pauperum vsui maximè seruientes, qui inferri possint. rursum E. 24. *Mart.* 1528. vetitum, ne lana ex Anglia inferatur, nisi per portum Iccium, & inde per Grauelingam soluto illic vectigali, sub pœna confiscationis; exceptis lanis Noui-Castri, *de Neuf-Chastel.* quæ iam olim à stapula Caletana sunt exemptæ. In eamdemque rem sunt E. *13. Iun. 1570. 15. Maij 1587. 3. Iunij 1592. 21. Iulij 1593. 18. April. 1594. 15. Iunij* 1600. 27. *Mart.* 1627. quæ pleniùs recitamus sub titulo, *Quæ res exportari aut inferri non possint.*

§. *De tapetibus.*

REferendum & hoc Edictum 16. *Maij.* 1544. *vlt. Decemb.* 1553. præscribens disciplinam eorum qui tapetes texunt, tam quoad artem, quàm quoad magistrum, ministros, tyrones, iura introitus, & similia. 27. *Septemb.* 1606. plures regulas præscribens serico parando, tingendo, texendo, emendo, vendendo, inferendo, efferendo, quibus textura &

mercatura proba seruetur. & E. 3. *Martij* 1618. proximi obseruantiam inculcans: & quoniam id, non vt oportuit seruatum fuit, nunc vetatur, ne qua omninò serica extra prouinciam tincta quocumque colore inferantur; omniaque opera exinde manu facta, sub dicta pœna: exceptis iis, quæ ex Hispania aut Italia deuehuntur. qui alia sub se habent, aut exspectant, extra prouincias illa demittant intra mensem.

§. *De serico.*

ET quoniam ex rudibus sericis filis ex Syria aliisque Orientis partibus huc delatis textrinæ aptandis, magnus de plebe numerus victitare solebat; eaque vtilitas illatis aliis minoris pretij ex vicinis prouinciis magnâ parte cessauit; vetita sunt huiusmodi fila serica rudia, vel parata, & tincta ex Gallia, Germania, &c. huc inferri; sub pœna commissi, & dupli.

§. *De equis.*

SVper equis etiam multæ leges æquissimè latæ, in belli & pacis vtilitatem. E. *23. Iul. 1522.* 7. *Octob. 1531. ar.* 42. *14. April.* 1540. 10. *Iun.* 1542. 6. *Maij 1545.* 24. *Ian.* 1546. 18. *Sep. 1549. 2. Decemb.* 1550. *13. Mart.* 1551. 19. *Septemb. 1551.* 27. *Octob.* 1553. *vlt. Maij* 1556. *14. Mart.* 1558. & singulatim vt Aulæ, & equestri ordini, & turmis ordinatis ad perpetuam limitum defensionem sit opportuniùs prouisum; vetantur educi extra prouincias equæ cuiuscumque ætatis, & equi quadriennio minores, quique non excedant altitudinē quindecim palmarum: sub graui pœna, nemo incola aut aduena equos emat rure, atque extra liberas nundinas; exceptis aulicis, & turmis ordinatis, in vsus suos ementibus. equi venales ad forum ducantur de die per vias regias: ad diem nundinarum principalem, & horam: venditor sciens emptorem equos extra prouincias ducere velle, iisdem pœnis teneatur: & quicumque alij conscij erunt, nec denuntiarunt, itidem grauiter mulctentur:

ctentur: qui venales equos ad forum duxerint, loci officiario aut commissario quantitatem exactè denuntient; & vbi vendiderint, emptorum nomina: sub pœna confiscationis equorum, & centum florenorum in singulos equos pro prima vice, secunda dupli, tertia banni, & correctionis arbitrariæ. qui ad nundinas in finibus venales equos ducunt, similiter quantitatem officiario mox indicent, & quò eos ducere velint, nomina sua, & domicilium: & vbi vendiderint, ad commissarium redeant; emptorum nomina, & domicilia indicent: qui requisiti mox docere teneantur, quid de emptis equis egerint: si emptores emisse se negent, probare venditor, aut pœnam luere tenebatur. qui pro Cameracesio rusticanos equos ducunt intra dies quindecim testimonium referant scabinorum, vbi vendiderint. summariè procedatur contra trãsgressores. Denique ardente bello anno 1551. & 1556. addita pœna est suspendij educentibus equos ad hostem, & confiscationis bonorum: etiam pro prima vice. antequam ex nundinis emptos mercatores educant, inscribatur schedulæ numerus, altitudo, qualitas, color equorum; & intra triduum à regressu eamden schedulam repræsentent ad registrandos eosdem equos. quicumque opem operámve præstiterint educendis equis, in pœnas incidat: famuli qui eduxerint, examinentur; etiam per torturam, super dominis, & consciis: qui soluendo non erunt fustigentur, & aliàs corporaliter castigentur: qui nocturno tempore, & extra vias regias equos ducunt; intra quatuor milliaria à finibus sisti à quouis possint, & in Iudicium ad examen duci: aurigæ si equos habent magni valoris cautionem præstent de iis reducendis: qui in finibus sunt ad obseruandam eductionem diligenter obseruentur ab officiariis maioribus: & si dissimulauerint, alij constituantur: procedatur solâ veritate inspectâ, sine subterfugiis: vnicâ in probationem dilatione concessâ: pronuntietur pro eo qui apparẽtiori iure vtitur: sententiæ executioni mandẽtur, non obstante oppositione aut appellatione, & sine illius præiudicio: nemo admittatur ad mercaturã equorum

rum rure habitans: qui in vrbibus admittetur, iuret obseruationem ordinationum, & officiario constet de eius probitate & fidelitate: officiarij, si in matricula culpam commiserint, corrigantur priuatione officij: qui requisiti docere non poterunt vbi iumenta vendiderint, si qualitas & circumstantiæ suadeant, censebuntur arbitrio Iudicis contrauenisse ordinationi: si ex equitibus turmarum ordinatarum aliquis abutatur facultate sibi factâ, & externis aut suspectis equos suos vendiderit, corporaliter corrigatur; etiam capite pro secunda vice. qui in via sunt ad educendos equos, pœnâ teneantur; quamuis nondum finibus egressi.

Edicto 13. *Mart.* 1551. eadem insuper ampliantur; & nominatim vt nemo ad mercaturam equorum admittatur, nisi eius edicti iurata obseruantia.

§. *De auro, atque pecunia, aurifabris, &c.*

ETiam cautum est E. *22. Octob.* 1553. 15. *Decemb.* 1593. 19. *Febr.* 1607. ne efferatur ne quidem damnata hîc moneta. qua de re paulò pòst plura. Nunc de aurifabrorum arte atq; mercimonijs. E. *8. Maij.* 1515. 13. *April.* 1551. in primis vetitum est, ne æs deauretur nisi pro Ecclesiasticis ornamentis, & æquitum sellis, &c. vt non vendatur, mutetur, oppignoretur deauratum, nisi auro cum mercurio molito, vt non conficiatur aureum quippiam, alio metallo admixto, nisi modo & quantitate ibidem præscriptâ; exceptis liberis nundinis, vbi exteri mercatores sua diuendere poterunt. vt crystallum, albi sapphiri, amethysti, topazij, aliíve lapilli, qui auro inserti diamantes referunt, auro non inserantur: nemo huiusmodi lapillos auro insertos vendat, mutet, oppignoret: emptores redhibere possint: vt alij lapilli, & diamantes auro ritè inserantur.

§. De

§. *De cupro.*

DE cupro itidem edictum est 10. *Iul.* 1590. 29. *Iul.* 1599. 24. *Ianuar.* 1605. ne opera fiant cum alterius metalli mixtura.

§. *De chartis.*

DE chartis 10. *Octob.* 1530. vt probæ sint, & quæ vtrimque ita atramentum recipiant, ne perfluat, sed vtriusque paginæ scriptura legi possit.

§. *De vino.*

VIna etiam Francica sæpiùs inhibita inferri, de quo mox alibi, præsertim belli tempore. sed omninò semper ea vina quæ improbè cocta sunt; *stomme* vocant: quæ prohibuit E. 4. *Augusti* 1628. sub pœna mille florenorum in singula vasa. sed & E. 29. *Septemb.* 1508. mandatum, vt vina Francica, & Burgundica, aliáve ob vitiatas mensuras vasorum, tam in locis stapulæ, quàm aliis ad mensuram vendantur, sub pœna confiscationis eorum, quæ in vasis iusto minoribus deprehendentur.

Et E. 27. *Mart.* 1510. vt vina illata deferantur ad proximam *gruem* (instrumentum est quo in portibus dolia, mercesque è nauibus excipiuntur) vt ibi mensuræ debitæ subiiciantur; nec antè diuendantur, nisi liqueat spectare ad incolas harum ditionum; qui transferre possint ad locum domicilij, & ibi ordinationi parere. officiarij negligentes mulctas ipsi luant.

Ad hæc E. 21. *Decemb.* 1549. vini pretium statui à Magistratu iubetur, tam venditi per auersionem, quàm per mensuram: & vt diligenter is aduigilet, ne supra æquum augeatur: exteri mercatores in stapula aliisque foris vnâ horâ ante nostrates

mercatores vina sua venalia prostituere possint: quæ à nostratibus mercatoribus non emantur directè vel indirectè, nisi post horam illis prærogatam: vt singuli incolæ citra mercatorum monopolia æquo pretio comparent, quo opus habent; vt nemo vina corrumpat, immixtis aliis substantiis, sub pœna centum florenorum, & arbitrariæ correctionis, & interdictæ in posterum negotiationis, tabernæ, hospitij, &c. officiarij negligentes arbitrariè corrigantur, & incommoda resarcire teneantur.

§. *De vino adusto, aliisque distillationibus.*

QVin & vina adusta, similesque distillationes in ordinem rediguntur. E. 20. *Mart.* 1601. vt coctores non vtantur granis, siligine, similíve substantiâ, pomis, pyris putridis, sed fæcibus vini dumtaxat, aut cereuisiæ; neq; vina ea præbeantur, nisi publico loco, exiguâ quantitate, paruulâ mensurâ, per modum medicinæ; non domi in cubiculis locísve à publico conspectu remotis, in modum compotationis: adeoque vendi non possint ab iis qui vinum venale, aut cereuisiam proponunt. Ep. interp. 22. *April.* 1605. scilicet pubicè omnibus petentibus, seu qui hospitium exercent, sed neque cereuisiæ coctores vinum adustum à se distillatum vendere possint, nisi in magna quantitate, vasis, medij, quarti, octaui.

Edicto 20. *Octob.* 1622. continetur eadem prohibitio; auctis pœnis, etiam exemplaris correctionis, aduersus officiarios negligentes.

§. *De cereuisia.*

SVccedit cereuisia; potus Tacito etiam in *Moribus Germanorum* notus; ex aqua, hordeo, frumento, aliisque granis, & lupulo infecta. quam E. 5. *Dec.* 1589. coqui iubet ex probis granis, & lupulo; alias herbas substantiásve misceri vetat, vel coctores domi habere. vasa iubet restitui, non confringi,

fringi, aut distrahi E. 10. *Iunij* 1596. renouato 9. *Februar.* 1611.

§. *De lupulo.*

LVpulo ergo etiam E. 13. *August.* 1621. vetitum immisceri improbas herbas. mandaturque omnibus officiariis, & in locis nundinarum mercium curatoribus, vt diligenter inquirant.

§. *De sale.*

SAlem omnibus quantumuis adeò necessarium E. 31. *Aug.* 1609. coqui sine Principis indulto, permissum non est. Edictumq; 3. *Aug.* 1617. vt subditi harũ ditionum salem *de Brouage* non emant nisi in vsus suos, non vt reuendant aliquibus Francis, qui aduersus Regis sui edicta & iura dominica mercẽtur. quod E. 28. *Mart.* 1618. rigidioribus terminis est repetitum.

§. *De butyro.*

LOcum tandem sibi postulat butyrum: sine quo Belgæ nec cœnas, nec prandia, nec ientacula norunt: nisi qui domestici nunc cibi pertæsi neoterico modo externum luxum affectant. Et quoniam in Flandria magna est butyri copia, atque mercatura; ad vitandas fraudes, E. 31. *Iulij* 1628. decretum est, vt non vendatur, nisi in vasis publica auctoritate signatis, certi ponderis & mensuræ: latiùs expressæ *ord.* 31. *Iul.* 1621. *Concilij Flandriæ.*

§. *De alumine.*

ALumen E. dirigit 10. *Ian.* 1583. vt Iura Regia, emendæ, & confiscationes ritè seruentur, explicatque cui cognitio controuersiarum inde nascentium competat.

Edict. 8. *Maij* 1599. vt quod ex Leodiensi agro vehendum has

ditiones transit, in ciuitate Traiectensi aut Namurcensi sistatur: indicato loco quò vergat, & quantitate, soluto iure Regio, datâ cautione de alibi vendendo, receptoris Regij syngrapha accipiatur, & proximo loco exhibeatur.

Edicto 24. *Nou.* 1612. permissio aluminis inferendi extranei valdè restricta, ad loca vbi sisti debeat modus inferendi, illati signandi, vendendi, transferendi, &c. præcipitur; idemque E. 14. *Oct.* 1627. multò arctiùs.

§. *De mineral.*

MIneralia, *Callamynen*, E. 15. *Nou.* 1588. vt ne aliunde inferantur, sed Limburgensia recipiantur; quò dominia Regia non minuantur.

§. *De sapone.*

SApo, vt ne conficiatur ex hepatis aut iecoris pinguedine, sed puro oleo. E. 8. *Mart.* 1597. neq; ex balenarũ pinguedine, seu alio inidoneo aut noxio smegmate. nec hæc emere liceat, aut domi habere, aliaque quæ eò pertinent. vt ne quisquam ex vnitis exterísve prouinciis alia possit inferre, quia impurâ pinguedine confici soleant. Rursus E. 4. *Septemb.* 1623. eadem prohibitio traditur.

VT Iudicibus olim non licebat agros, ceteraque quæ ad victum non spectabant comparare in prouincia, in qua præsidebant, *tit. C. de Contract. Iud.* ita neque aduocatis iisque qui Iudicibus assidebant. *l. aduocati. C. de aduoc. diuers. Iud.* neque militibus vbi militabant, *l. milites. D. de re milit.* sed nihil horum apud nos hodie obtinet.

Plura sunt quæ ad hunc titulum etiam spectant repetenda ex titulo, *De re militari.* &, *Quæ res exportari vel inferri non poßint.*

&,

&c, *de Collegiis artificum*, quæ per connexionem ad se mutuo prouocant.

Quæ res exportari, vel inferri non possint.

SAtis diximus *tit. de re militari*, ad hostem arma, commeatum, equos, & quidquid hostili commoditati potest seruire, exportari non posse. ante reliqua primum locum obtinet aurum argentúmve, etiam damnata hîc moneta. neque porrò ampliùs quis efferre potest, quàm iter quod quisque agendum habet, exigat. E. 22. *Oct.* 1553. 15. *Dec.* 1593. 19. *Febr.* 1607. vt eapropter iter acturi ab officiario loci requisiti quantitatem pecuniæ efferendæ indicare teneantur. similiter ne quis aurum argentumque non signatum efferat. omnia sub grauibus mulctis; quæ etiam post factum exigi possint. qui scientes composuerint, auexeríntve onera aurea argenteáve, arbitrariè etiam in cute puniantur.

Frumenta etiam prohibentur exportari edictis quæ longo ordine tit. *de commerciis. § ante omnia cura annonæ.* citauimus. quæ eadem dicimus de equis. ac insuper fraudi præcauendæ, E. 22. *Sept.* 1626. prouisum, vt qui equos, equas, pullos ex Westphalia huc inducunt, testimonio muniti sint, quòd ibidem nati sint, educatique; cum notis, colore, stigmatibus, quibus certò dignoscantur; ne sub eo nomine vetiti ex Batauia irrepant.

Et E. 4. *Junij* 1627. vt certificatio sufficiat, quòd empti sint in regionibus Regi obedientibus, aut neutralibus, si dimidium vectigal, quod *licentiæ* nomine penditur, soluerint.

Et E. 14. *Mart.* 1558. vt equorum mercaturam nemo exerceat, nisi qui Edictum hoc iurauerit obseruare; prohibitiuum ne quis equos extra ditiones has educat, atque pluribus articulis amplians vetera.

Denique generatim E. *vlt. Iul.* 1585. ne quis cuiuscumque generis pecora extra ditiones educat: præcauendæ caritati annonæ, militari licentiæ, & hostium commodo.

Ad extremum E. 6. *April.* 1589. vetitum ne quis efferat arma, seu quidquid spectat ad munitionẽ bellicam: ne quis merces vetitas efferat, inferat: sub pœna commissi, & quadrupli; nisi licentiâ speciatim obtentâ, continente nomina mercatorum, institorum, famulorum, quantitate & qualitate mercium. quas vetitas paucis recenset Edictum. quale ante paucos annos rursus editum specialius: permissa deinde cum vnitis prouinciis mercatura, soluto in singulas merces præter vetitas certo vectigali Licentiæ nomine.

Denique animaduersione eget, quòd instante iam bello Gallico E. 1. *Iun.* 1526. declarauerit venditiones per exteros factas mobilium vel immobilium bonorum, si postmodum venditores contigerit in partibus aduersariis esse, nullas futuras.

Sal etiam E. 20. *April.* 1627. subnigrum, vt ne efferatur in alias ditiones: album & excoctum sistatur in ciuitate Namurcensi, aut Wertensi, ibidemque discutiatur, an non ex vetitis locis deuenerit: quòd si ita, vt vetitæ merces habeatur: si nón, schedula commeatus detur.

Metalla insuper, æs, cuprum, cæteraque id genus, vetera quamuis & confracta, Ep. *vlt. Oct.* 1612. efferri vetita.

Lanea item fila, E. 12. *Iul.* 1593. lana aut linum non textum, rigidè & multis verbis, E. 15. *Iun.* 1600. & iterùm *vlt. Ian.* 1610. *pluribus articulis.*

Coria, E. 28. *Ian.* 1549.

Cereuisia in ditiones fœderatas. E. 5. *Ian.* 1596.

Lupulus, ob aridam sterilitatem *an.* 1567. E. 7. *Sept.* ad tempus efferri prohibitus: ac deinde E. 4. *Iul.* 1575. donec aliter permitteretur. nunc antiqua commercandi libertas obtinet, nisi quando ob bella aut sterilitatem prohibetur.

Ligna denique exportari vetita E. 5. *Dec.* 1623.

Res vetitæ inferri diuersi etiam generis sunt. sed primum locum dabimus panno Anglicano, quem E. 15. *May* 1587. proscripsit, & quæcumque alterius generis lanificia in Anglia contexta, quin & vestes ex panno Anglicano confectas. E. 18. *April.* 1594.

1594. sed per Ep. 27. *Mart.* 1627. permissum vt rudis lana ex amicis seu fœderatis regnis in has ditiones possit inferri. sed & E. 3. *Iun.* 1592. imperatum, vt panni aliaque lanificia Anglica mox exhibeantur, & quæ proba sunt sigillo muniantur: soluto vno floreno, in rem Regis in singula: quæ improba inferentur, in posterum fisco addicantur.

Vina etiam Francica 21. *Maij* 1546. 12. *Iun.* 1546. ita habita, vt nemo incola harum ditionũ vina Francica emptum eat, empta huc deferat, aut cum Gallis societatẽ in eam rem habeat: Galli inferre possint, quantũ, & quando lubet: Belgæ emptum ire aut mittere possint, quanto in vsus suos quisq; domesticos opus habet. vtilitas ordinationis est, vt vetitâ hinc efferri pecuniâ, Galli pretiũ vinorũ hîc venditorũ in mercimonia nostratia collocẽt.

Sed E. 21. *Dec.* 1549. restituta emendi & inuehendi facultas: eoque diuertendi, vbi antiquum ius stapulæ fuit, soluto sine fraude vectigali: proscriptis tamen perpetuò vinis improbè coctis. E. 8. *August.* 1628. chartæ etiam inferri vetitæ. E. 10. *Octob.* 1530. nisi probæ & atramenti vtrimque capaces.

Mineralia Callamynen, E. 15. *Nou.* 1583.

Cuprea opera quibus alia metalla mixta, E. 10. *Iul.* 1590. pluribus articulis: quibus accessit Epistola Regia 29. *Iul.* 1599. quâ terminus duorum mensium datus ad probandum ea extra has ditiones vendita, prorogatur ad trimestre. & successit E. 24. *Ian.* 1605. eamdem prohibitionem pluribus articulis complectens.

Ceterùm durantibus his bellis commercia cum prouinciis quæ à Rege defecerũt sæpiùs ex integro prohibita fuerunt. E. 14. *Aug.* 1598. nuper innouato. exinde quædam inde inferre, quędam efferri eò vetita: quædam permissa nunc rursus additâ horum taxâ vectigali.

De collegiis artificum.

EX litteris Principũ edixit Conciliũ Flandriæ 18. *Nou.* 1623. ne quis medicinã exerceat nisi ab altera Vniuersitatũ Belgicarũ renũtiatus Doctor seu Licentiatus; vel examinatus, & idoneus iudicatus ab altera: vel à Doctoribus Cameræ suæ Celsitudi-

nis

nis. neque ſtipendia ciuitatis quis obtinere poſſit, niſi ſit ibidem promotus: aut propter excellentem peritiam, vt ſuprà examinatus, gratiam meruerit.

Et E. 3. *Iun.* 1626. vt non cenſeatur ſatisfactum 12. articulo Edict. ſuper homicidiis 1. *Ian.* 1616. vt cadauera per chirurgos viſitentur, niſi Magiſtratus & officiarij aſſumpſerint iuratos, legitimè admiſſos, & à Magiſtratu approbatos chirurgos.

Quoad librariam artem E. 11. *Mart.* 1616. 29. *Octob.* 1626. *ar.* 1. cautum eſt, vt nemo libros imprimat, vendat, diſtribuat, veteres aut nouos, imagines aut rhythmos, niſi à Curia admiſſus, & in verba edicti iuratus, ſub pœna exilij, & trecentorum florenorum quoad Typographos, 20. quoad bibliopolas: deinde vt nemo ad huiuſmodi artem admittatur, niſi eam didicerit apud iuratum Typographum ſeu bibliopolam, & ritè examinatus ſit per commiſſarios ab Epiſcopo & Magiſtratu loci deputatos, & ex Epiſcopi iudicio & Magiſtratus, & præfecti Typographorum ab Epiſcopo committendi, ſub pœna nullitatis admiſſionis: admiſſus litteras ſuas Epiſcopo & præfecto exhibeat; atque hic exemplum ſeruet. Nihil ſine cenſura imprimat; ephemerides etiam non ſine licentia Curiæ, pro ſingulis auctoribus ſeparatim impetranda, & tempore quod in frontiſpicio prænotabitur; inhibito etiam ne ſub nomine fictorum Auctorum prodeant, neque chronica aut hiſtoriolæ; & vt permiſſæ imprimantur correctè, inſigni charactere, & bonâ chartâ: omniumque Impreſſor tot exempla ad Concilium mittat, vt omnibus ſufficiant. Libri, tractatuſque maiores ſine Curiæ Indulto non imprimantur: neque Typographi extra ditiones quidpiam imprimi curent, antequam in his ditionibus aliis Typographis propoſuerint, an eâdem lege & probitate id velint ſuſcipere; quantumuis pretio differenti: & dum nemo conditionem acceptat, Typographi tamen de iis quæ foris impreſſa fuerint, reſpondere teneantur. In frontiſpicio libri aut calce referatur Acta viſitationis, priuilegij, tempus, locus, nomen Typographi, & pretium, quo æſtimatus fuerit ab

ab eo cui Curia commiserit. Visitatores probatorum à se librorum exemplum exigent. in loco publico ab Episcopo designando ponendum: ipso exemplari tum exemplis collato penes Typographum manente. Sarcinæ etiam aliunde allatæ elenchi edi, & probari debeant. Libri visitati, & vt suprà probati, vendi vbique possint, sine vlteriori Typographorum sollicitudine. Omnibus circumforaneis inhibetur vbicumque venderē libros, cantilenas, rythmos, ephemerides, imagines, résve similes: sed eas omnes vendi oporteat per solos iuratos Typographos & bibliopolas. Sed neque vendere hîc liceat libros in prouinciis Vnitis impressos: tametsi referant nomina, censuras, & indulta, sub quibus fuerint hîc antè impressi. Typographi signum præli aliúdve suæ professionis indicium ædibus suis proponant. & vbi librorum mercatura viget, ineatur ratio salarij pro visitatore & præfecto inueniendi. Cætera quæ ad hoc edictum spectant suprà retulimus ad *tit. de sum. Trinit. & fid. Catholic.*

Aurifabrorum disciplina stabilita est, Edictis 8. *Maij 1618.* 13. *April. 1531.* vt aurifabri rure agentes redigantur sub collegia vrbana, eorum disciplinam seruent, inscribantur, signa transmittant, & opera à se fabricata: aliis signa sua non commodent: æstimatores debitum iuramentum præstent: Decani in fraudes inquirant: etiam domos ingrediantur, cistas & arcana aperiant, præsente officiario loci: si qua non probè fabrefacta existiment, sub Inuentario auferant: si quis eis iniurietur, officiarius rigidè corrigat: præter consuetum iuramentum Decani etiam huius ordinationis obseruantiam iurent. si dissimularint, aut ipsi contrauenerint; duplum luant: operarij publicè ad plateam, vt inspici possint, operentur: externus ad opificium non admittatur, nisi bonæ famæ, & hic in libero loco ritè instructus, iuxta loci disciplinam: si quis quippiam emerit, per sex dies in officina publicè prostituat: alioquin pro complice furum habebitur; si res postmodum furtiua apparuerit. opera prohibita in nullis aliis locis, domibus etiam mortuariis venales exponi poterunt. omnia sub idoneis pœnis.

Ferrariis & metallariis *21. Nov.* 1621. prohibetur, ne quis in Sueciam transeat ex iis, qui artes habent scrutandi montes, & ferricinas, ferri eruendi, liquefaciendi, fundendi, scindendi, seu aliter vexandi. tum ne incommodo harum ditionum ars hîc vtilis aliò migret; tum ne qui subditi improbâ doctrinâ inficiantur: contractus irriti declarantur, quibus aliqui operam & migrationem spoponderunt; vt nec arrhas acceptas restituere oporteat; & sollicitationes in eam rem prohibentur, sub pœna capitis.

Textorum tapetium regulæ præscribuntur E. *16. Maij.* 1544. *vlt. Decemb.* 1553.

Serici E. *27. Sept.* 1606. *3. Mart.* 1618. mercatura & manufactura dirigitur, quî bulluri, nullis mixturis grauari, nihil ex grauato serico confici, texíve, grauatum aliunde inferri, vendi, excepto Italico, non possit: iam antè grauatum deferri ad Magistratus, & extra ditiones efferri debeat.

Purpuræ & vestium holosericarum vsus olim, & nundinæ, commerciaque interdicta erant. *C. de vestib. oleb. l. 1. d. temperent. l. fin.* adorare purpuram dicebantur, qui Principem salutabant, quia is solus eâ induebatur. Exindè Cardinalium ea insigne, & Parlamentorum. Alexander Imp. Rom. vestes sericas raras habuit, holosericas numquam induit, subsericas numquam donauit, sed luxus nostrorum temporum ad fæcem etiam plebis hæc transtulit: nequidquam veteribus legibus, aut Principum neotericis edictis obstantibus. quæ nostratia citamus infr. *tit. de adult. & stup.*

De rebus alienari prohibitis.

QVoniam indies multorum damno fideicommissa, substitutiones, alienationum prohibitiones, hypothecę subticentur; E. 6. *Dec.* 1586. decernitur, vt nullæ res ipsas afficiant, nisi fuerint recognitæ coram loci Magistratu. quod vt fiat intra tres menses à bonorum apprehensione curabunt grauati:

uati: alioquin fructus amittent, ad opus substituti: atque aliàs pro arbitrio Iudicis mulctabuntur.

Porrò aduersus huiusmodi incommodorum pericula prospexit E. 12. *Iul.* 1611. *ar.* 36. vt si quis dubitet, ne fortè res emptæ aliquo onere sint affectæ, seruitutéve, prohibitione alienationis, aut simili; possit à Principe litteras impetrare, consignato pretio, citatis omnibus qui prętendere quidpiam possint, & litterarum præscripto executioni mandato, iuxta stylum Insulis & Tornaci pridem vsitatum, bona empta purgare. Deducta origo huius praxis ex *l. diffamari. C. de ingen. manumis.* sed hæc diffamationem prępuiam exigit: lex nostra emptoris dubitatione contenta est.

De monopoliis.

MOnopoliorum vitium ex infami auaritia malum est, quod semper vetabitur, & semper retinebitur. documento est multitudo supra Iuris Romani leges Constitutionum Principalium in eam rem editarum. Igitur E. 7. *Oct.* 1531. cautum, vt à nullis mercatoribus, opificiis aut collegiis conuentiones aut ordinationes fiant redolentes monopolia, illicitósve contractus, priuatim aut publicè noxios, sub pœna banni, confiscationis, & correctionis arbitrariæ. additurque vt Magistratus huiusmodi statuta condita cassent, fiscales negligentiam suppleant, & inuigilent. E. 4. *Octob.* 1540. iterùm præcipitur, vt monopolia omnia mercatorum, & opificum cessent. vt aliàs sæpiùs antè decretum: & E. 21. *decemb.* 1549.

Quin & plura sunt alia E. 8. *May.* 1515. 15. *Nou.* 1531. 11. *Oct.* 1573. 10. *Sept.* 1575. 4. *Octob.* 1585. 10. *Sept.* 1597. 12. *Octob.* 1598. 12. *Mart.* 1599. 12. *Mart.* 1627. 21. *Nou.* 1614. Omnium summa est, vt abstineatur ab omni specie commerciorum, conuentionumque opificum & commercantium, quæ monopoliorum rationem redoleant.

De vectigalibus.

ODiosa capitatio est, & censibus eximenda. *C. lib.* 11. *de Capitatione ciuium censibus eximenda.* fauorabilia tamen iusta vectigalia, causâ necessariâ, æquâ propotione indicta, & benignè exacta. vnde *tit. de immunitate nemini concedenda. C. lib.* 10. vt neque releuatio est tributorum petenda, *l.* 1. *de collat. donat. l.* 10. neque è contrario sub pretextu tributorum operæ exigendæ. *C. lib.* 10. *ne operæ à collat.* sed & peræquatorum, & discussorum officium fauorabiliter inuentum est. hoc ad fraudes vitandas, rationibus fiscalibus iterùm discussis, & ad calculum atque examen reuocatis. *C. lib.* 10. *de discuss.* illud ad æquitatem seruandam in communis oneris supportatione. & si quis prægrauatus sit, alius porrò nimis leuiter oneratus, vt ea onera peræquentur, vt vtriusque bilânces æquis onerum momentis atque æquilibrij consistant. *tot. tit. C. de censib. censitor. & peræquator. l.* 11. Ex qua causa peræquationis nata in Belgio edicta plura 16. *Maij* 1515. 11. *Octob.* 1517. 19. *Dec.* 1517. 21. *Sept.* 1519. 12. *Nouemb.* 1520. Et cùm per interna & externa bella multæ ciuitates & territoria destructa atque imminuta, aliæ terræ inundatæ, alibi negotiatio imminuta, mutata, alibi aucta essent; æquum visum est antiquam taxam singularum vrbium, territoriorum, municipiorum, pagorum, vicorum sub Ioanne Burgundo Comite Flandriæ, *anno* 1408. factam nouare, eamque rem præclaris viris committere, qui ampliùs biennio rebus omnibus inquisitis, peræquanda omnia & singula nouam taxam conceperunt, & Carolo V. annuente seruari, & litteras ad Cameram Insulensem mitti mandante promulgarunt; ac nominatim in illius executione obseruari mandarunt æqualitatem, consideratis facultatibus, negotiis & exercitio cuiusque eo in loco, vbi domicilium habet; nisi fortè alibi terras, prata, molas exerceat, vbi taxari poterit pro rata illius exercitij dumtaxat. vt quisque possit vti frui syluis, viuariis suis, & vendere sine taxa

supra

ſupra antiquitùs vſurpatam. vt conductores decimarum extra domicilium non taxentur: vt iidem commiſſarij difficultates ſuborientes componant, aut decidant; eorum ſententiæ executionem habeant; non obſtante appellatione; ſi grauem difficultatem repererint, vt ad Concilium priuatum referant.

Sed & 6. *April.* 1516. 25. *Februar.* 1537. edictum eſt, vt qui pecunias publicas exigunt, ſyngraphas ritè ſignatas mittant, latè & ſpecificè continentes cauſas, terminoſque pecuniæ, quæ exigitur; nullo alio cum Regia pecunia onere admixto. vt non fiant donationes ex pecunia publica, ſed quiſquis ſolutâ quotâ liberetur. quòd ſi pecuniâ extraordinariâ opus fuerit, ob acceſſorios ſumptus, & extraordinaria onera, ea non leuetur, niſi de communi populi conſenſu cuiuſque loci & indulto Principis. nec exactores vtantur executoribus Regiis, ſed officiariis locorum; iique ſalarium antiquum non excedant: qui pecuniam publicam receperint quotannis, & quoties opus fuerit, rationes & reliqua reddant. Edictum iſtud quotannis publicetur. Caueant exactores à vexis & compoſitionibus: ſi excedant ſalarium puniantur 20. ſtuff. in executionibus duplum, in exactionibus triplum, & pœnam arbitrariam luant.

Sed & E. 8. *Sept.* 1518. ſcripta taxa ſalarij officiariorum pecunias publicas exigentium, & ſeuerè decretum, ne ea vllatenus excedatur. 2. *Auguſt.* 1531. vt id minùs fieret iuſſi collectores vectigalium in ſuis tabernis chartam proponere ſpecificè continentem quid ex quaque merce ſolui debeat. 7. *Octob.* 1524. declaratum ob telonium Zelandicum ſupra antiquum vſum lintea Flandrica grauari non poſſe. 6. *Octob.* 1523. ſub vectigali Tornacenſibus conceſſo Flandros mercatores non comprehendi. 21. *Dec.* 1549. naues vino onuſtas non exonerandas, niſi in totum ſoluto vectigali. & qui in vſus tantùm ſuos aduehunt à vectigali immunes per famulitia ſua aut homines ſuos id faciant; neque aliis diſtribuant, immunitate alioquin priuentur.

Controuerſiis vitandis cautum E. *vlt. Octob.* 1539. vt telonia & vectigalia Regia ſoluantur, ſecundùm antiquum monetæ valo-

valorem, quoniam vulgus monetam auxit, & mercem deteriorauit, nec manet proportio Iuris antiqui.

Taxa etiam vectigalium data, E. *20. Octob. 1622.* ex mercibus, quæ in Franciam deferuntur, exigendorum, quam conductores & collectores publicè proponunt sub pœna 100. florenorum: vt quisque quantum debeat perspicere possit: neque amplius exigant sub pœna quadrupli. si in suspicionem fraudis venerint, possint officiarij à mercatoribus & institoribus iuratò, exigere veritatem: si recusent; eorum sumptu fiet inquisitio: si offerant iuramentum, neque eo sit contentus conductor, huius sumptu: si fraus commissa erit, res in commissum cadet, & apprehendetur, pœnâque dupli exigetur: & si iusta erit suspicio, poterunt perquiri currus & naues, aperiri sarcinæ, & excuti præsente prætore loci, ne qua priuilegia offendantur: ipsique officiarij & ministri subiiciuntur protectioni Regiæ, ne quis eis, quæ dicta sunt exequentibus, verbo vel facto iniurietur; alioquin corpore & bonis luiturus.

Pauperibus qui ex industria sua tantùm victitabant onus non imponebatur, sed ditioribus incumbebat. Bald. *in l. etiam. C. de re iud.* hodie grauior onerum pars multis locis annonæ cereuisiæve imponitur, & qui mille annuos nummos possidet, non tantum edit, bibit, aut luit oneris, quantum qui nec vnicum; qui in diem viuit, qui ex stipe diurna cœnam parat, & fœcundam sobolem in circuitu mensæ habet. meliùs alibi tributa istâ proportione ex omni fundo exercitioque, ac vndique colliguntur, atque ita plus soluit, cuius pluris interest rempub. saluam esse.

Vectigalia Regia sunt. neque indici possunt, aut competere alij, quàm supremo Principi. vt nec alia subsidia, dona, collectæ à vasallis recipi, sub pœna dupli, & arbitrariæ correctionis, sine speciali Principis indulto. E. 22. *August.* 1531.

Mandati.

Mandati.

EX *l. inter 26. §. non omnia. D. eod.* mandatarius non omnia quæ erogauit imputat: vt si in languores aut latrones incidit: nam hæc casibus magis quàm mandato imputantur. quod & de legato in itinere spoliato creditum est: & Cuiac. notandum scribit: sed æquius Accursius, nec hic §. inquit, de curialitate debet seruari. quæ sententia, inquit Automnus *hic in censur.* vsu comprobata est. fortè nec malè distinxeris, vt si casus merus sit, qui præcogitari non potuit, non præstetur, ex regula generali *l. contractus. D. de reg. iur.* sed si quis periculosum iter indies incessum alteri mandauerit, quod expensum erit in lytrum, redemptionémve, aut commeatum rectè imputabitur, tamquam mandatum comprehensum; nisi mandatarius in se periculum receperit; quippe hic non verus casus est. & sic socius quod medicis datum, *l. 61. D. pro soc.* & quod latronibus, *l. 52. D. eod.* imputat in communes expensas.

Locati.

COnductor priùs rem restituere conductam debet, & tum de proprietate agere. *l. si quis. C. eod.* eam *l.* Automnus *in Censura ad hanc l.* putat ius nouum continere, & Imbertus à foro recessisse; sed non rectè. spolium siquidem committit qui rem alieno nomine hactenus possessam suo incipere vult possidere; spoliatus autem ante omnia est restituendus: & ita consonat quod ait Automnus iudicatum Burdegal. *14. Mart. 1611.*

De Iure emphyteutico.

PLerisque locis res omnes à pagorum territoriorumque dominis feudali emphyteutico vel censuali nexu dependent, raræ optimo iure possidentur: alicubi alaudia sunt vtroque nexu soluta: sed rariora hęc, feuda quidē frequentiora; censuales res aut emphyteuticæ assiduæ ferè, vnde quibus locis alau-

alaudia rara non ſunt, talia præſumuntur, quia præſumptio eſt pro libertate, non feuda. Iud. apud Chriſtin. *vol.* 1. *d.* 124. vbi cenſus aſſidui, res cenſuales præſumuntur, ex ratione *l.* 9. *D. de Probat. in verbo, plerumque.* Emphyteuta dominum directum ſemper agnoſcere debet: ideoque & fundos requiſitus quamuis non titulos oſtendere. Iudic. apud Chriſtinæum *volum.* 1. *d.* 173.

Magna præclaraque Ordinatio data eſt 13. *Iul.* 1602. ſuper cenſibus, canonibus, emphyteuſibus, aliiſque id genus iuribus ſpectantibus ad Curiam Comitatus Flandriæ cenſualem, quam Renengarum, ſeu Hofredeningam vocant. quò ſpectant antiquiſſima Comitatus iura, extra illa quæ feudalia ſunt. quæ vt multa ſingularia complectitur, ita pleraque Comitatus illius terminis circumſcripta: ad quæ quiſque, dum vſus exiget, recurret. & multa nihilominùs habet ex iis quæ *lib.* 11. *C. tit.* 50. *& ſeqq.* traduntur. quæ pleraque dominica ſeu domanialia ſpectant: prędia publica, dominica, & limitropha. in primis *tit.* 22. vt ruſticani tributa pendere, neç terram deſerere poſſint. *tit.* 53. vt neque ad munera alia auocentur. *tit.* 54. non à dominis poſſint grauari. ſupra antiquum cenſum. *tit.* 49. nec alius pro alio. 56. ſed peræquatores cenſus impares emendent. 57. deſertos agros fertilibus adiungant, & occupari alioquin poſſint. 58. ad extraneum habitatores Metrocomiæ loca ſua non poſſint transferre. 55. ſicut hodie vicini ius retractus alicubi habent.

Limitrophi fundi commeatum & alimenta præbent præſidiariis limitum. *l.* 1. *C.* 11. *de fund. & limit. l. nulli.* §. 1. *de fund. patrim.* Terræ, paludes, paſcua limitanea ad milites limitaneos, omni iure pertinent. *l.* 2. 3. *C. de fund. limit.* ſic & ad vſus præſcriptos impendenda paſcua publica & priuata Principis, *C. l.* 11. *tit.* 61. patrimoniales fundi, ſaltuenſes, emphyteutici vnà cum mancipiis & colonis. *tit.* 62. (ſi fugerint, retrahendis. 63.) Auguſtales 64. rei priuatæ, & ſaltus diuinæ domus. 65. aliorumque nominum. *tit. ſeq.* de quibus infrà *de Iure fiſci* latiùs.

Ad meliorandum in emphyteuſim agri dantur, & vt cenſu

Reipub

Reipub. ſoluatur, oneraque impoſita, vnde ſi quem cenſitus agrum deſereret, alteri eum occupare, colere, & niſi prior dominus intra biennium rediret, ſibi habere licebat. *l. qui agros. C. de omni agro deſert.* eam legem Bugnion. *leg. abrog. l. 1. ſat. 231.* negat in vſu eſſe. quod & hîc credi poteſt, vbi adeſpota Principi cedunt. nihilominus anno 1587. ſuadente totâ vaſtitate ditionum, & annonæ immensâ caritate Philippus II. facultatem omnibus fecit agros deſertos occupandi, ſerendi, & donec ſumptus reſtituerentur habendi. vnde, contagio multis familiis extinctis, non minima pars ad non ſuos dominos abiit, & penes illos exinde etiamnum hæret.

De feudis.

FEudum iure dari poteſt non clerico tantùm, ſed & Eccleſiæ. *l. 2. feud. tit. 40. §. vlt.* ſed apud nos non feuda tantùm, ſed & quæcumque immobilia in Eccleſiam tranſcribi vetitum eſt, niſi Princeps gratiam fecerit, amortizaueritve. perſonæ tamen clericorum & vetera & noua feuda capiunt, & obſequia per ſubſtitutos præſtant. Baro *de benef. l. 2. c. 12.* quare & cæci, muti, ſurdi in feuda ſuccedunt, cùm per ſubſtitutum obſequia præſtare poſſint, etſi Longobardi non vſquequaque admiſiſſe videantur. *c. 1. an mutus feu. retin. §. mutus. tit. Epiſ. vel Abb.*

Non diſſimiliter natura feudi eſt, vt niſi, aliud per inueſtituram probetur, ad ſolos hæredes maſculos iure pertineat; at id contrà mores noſtri mutarunt, vt niſi contrarium probetur, paſſim fœminæ ſuccedant. generatim enim receptum eſt ferè paſſim vt ob ſexum, corporis vel animi vitium, aut vitæ profeſſionem feuda, eorúmve ſucceſſiones non amittantur: admiſſo vtique ad militiam, & ſeruitia ſubſtituto. quibus conſonat *c. cæterum. de Iudiciis. c. ex tranſmiſ. de for. comp.* tametſi monacho, tamquam ciuiliter mortuo (quod non eſt in aliis clericis) propinqui hîc mox ſuccedant. olim quidem in Flandria ſecus ſe res habuit, & adhuc Edictum extat *10. Nou. 1306.* vt in feudis

non inuestiatur ciuis, clericus, aut bastardus, sine indulto Principis: si vasallus id fecerit, illius ipsius feudum arrestetur, nec relaxetur, nisi à Principe: nullus ciuis, aut clericus in alio fundo inuestiatur, nisi omnia onera ferre promittat, quæ ferunt vicini.

Inuestitura autem facienda est coram paribus Curiæ. *l. 2. feud. tit. 2. & 32. in princ.* tamquam testibus magis idoneis, propter iuramentum. *l. 2. feud. tit.* 58. *§. idcirc.* duobus saltem, *ibid. §. quod autem.* si modo dominus tot habeat conuasallos: alioquin extranei possunt adhiberi. *dd. locis.* quod edicta Principum nostrorum ad omnium immobilium translationem porrexerunt, vt eorum dominia non trasferantur, nisi coram Curia feudali, censuali, decurionibus, seu scabinis. vt alibi pleniùs diximus.

Sed & feudum releuari debet intra annum & diem. *l. 2. feud. tit. 24. in princ.* vel olim annum & mensem. *l. 1. feud. tit. 22. in princ.* hodie per mores intra sex septimanas. atque cùm vasallus mutatus est non tantùm, sed etiam cùm dominus, releuatio renouanda est. *l. 2. feud. tit. 24. in princ. & tit. 32. §. de veteri autem.* non tamen iuramentum, *c. veritatis. x. de Iureiur.* quia hoc ad successores extenditur; sed recognitio & reuerentia.

Siquidem vasallus domino præstat iuramentum: quod plura capitula complectitur. ab eo tamen eximitur Ecclesia. *c. de negot. super quo in extraord. c. feud. c. nimis. x. de Iureiur.* quamuis mores substitui velint hominem morientem, vt loquuntur, & confiscantem: seruandis vtique iuribus directi domini: quæ magnâ parte per amortizationes extingui solent. minores porrò vsque ad ætatem doli capacem inducias habent. neque enim ante iurare permittuntur.

Homagium, quod alij hominium dicunt, complectitur iusiurandum fidelitatis, & subiectionem; vt vasallus discinctus, supplex, ac venerabundus, pro diuersis regionum moribus admittatur ad osculum, manuumque tactum, præsertim nobilis. Vnde voces oris & manuum obligatoriæ in feudalibus passim consuetudinibus: quamquam & per os iuramentum, & per

per manus pacti fides rectè intelligatur.

Exinde vasalli directi domini homines, & fideles dicuntur: feudi ratione subditi, & iuramenti causâ, ad fidelitatem adstricti. *Homagij*, inquit *c. veritatis. x. de iureiur. & fidelitatis puritatem absque tergiuersatione obseruare teneantur.*

Iuramenti porrò præstatio per procuratorem fieri potest *l. 2. feud. de inuest. vet.* sed si dominus exigat per vasallum ipsum, non procuratorem, facienda est. & alicubi domini procurator ad vasallum ipsum mittitur. Principes nostri ob impedimenta nuper posse fieri inuestituras, etiam per procuratorem, constituerunt: sed tamen si domini intersit à vasallo honorari speciatim, generali illo decreto id non videtur sublatum. & inter Reges magnosque vasallos & olim, & nostris temporibus, hæc quæstio disputata est. Mantuana controuersia recens est, cuius inter prima capita hæc etiam altercatio fuit: nec semel sed quàm sæpissimè inter Reges Galliæ, & Flādriæ Comites olim agitata; tergiuersantibus Comitibus in Galliam venire, ob non tutum accessum: & tamen Galli tantis olim studiis illum Regum suorum rigorem iustum dixerunt, quantum nunc aduersus Imperatorem mutata scena pro Mantuano exclamarunt. Bugnion. sanè generatim *leg. abrog. l. 6. coll. 37. Apud Gallos*, inquit, *non præstatur fidelitas per procuratorem, nisi legitima excusatio summatim probetur.* congeritque struem Consuetudinum.

Successio porrò feudi non est hæreditaria intestati successio, sed ex prouidentia & formula primi acquirentis, adeoque in illud succeditur à filio non vt hærede, quin imò repudiatâ hæreditate, *l. 2. feud. tit. 45. & tit. 51. §. filius*, quamuis per mores ferè nostros, qui feuda ad instar patrimoniorum penè redegerunt, magis quasi in bona vltimi possessoris succeditur: atque ita non nisi aditâ simul hæreditate. Gudelin. *de feud. p. 3. c. 1. n. 11.* sic tamen hæc obtinet, vt paterna feuda consanguineis & agnatis, materna vterinis & cognatis deferantur: vt non quocumque modo proximus, sed ex ea linea proximus, vnde feuda deuenerunt, succedant: & sic neque mas vnius cognationis foeminam

minam alterius excludat. quod tamen nec vbique obtinet, præsertim cùm semel in familia vltimò defuncti radices egerint, id est, cùm semel paterno aut materno successorio iure delata fuerint.

Naturales in feuda non succedunt, quamuis legitimati per rescriptum *l.2.feud.§.natur.* ante delatam successionem. Hottoman. *ibid.* nam delatæ iam ius tolli nequit. *§.cùm autem.instit.de hæred.quæ ab intest. deferunt.* per subsequens tamen matrimonium legitimati succedunt. Couuarr. *epitom.decret.p.2.c.8.§.2.n.27.* 30. quia magis legitimi, quàm legitimati censentur. moribus tamen etiam per rescriptum legitimati succedunt. Rebuf. *ad Const. Regias.tom.2.trac.de lit.naturalit.gloss.* 1.*n.* 10.quod tamen nec hîc vbique obtinet. nisi disertè litteris sit expressum.

Sicut fideicommissum legatumque sub conditione, *si quis sine liberis moriatur*, adoptionis commento non excluditur, *l.fideicommissum 76. D.de condit.& demonstrat.l.si ita quis* 11. *D.de leg.2.* sic & feuda in adoptatos non tranferuntur. Molin. *ad Consuet.paris. §.8.glos.1.n.33.* nisi sicubi libera vt reliqui patrimonij sit dispositio, & successio, aut gratia Principis impetretur. vt non ita pridem nobilis beginæ agnomen gentile, & feuda transferri vidimus in adoptatum. tametsi etiam adoptatio naturam imitari deberet, illique per vitæ institutum naturales liberi agnasci prohiberentur: neque per leges mulier adoptare posset, nisi ex rescripto Principali. sed hoc ei erat concessum.

Vasallus porrò operam militarem domino præstat per se substitutúmve suum: sed non propriis impendiis procul extra ciuitatis suæ territoria. *C. Extra ord. antiquatum esse.* quod mores alicubi ad dies quindecim, duos, trésve menses extendunt: alij nullatenus extra ditionem domini sui: vt alij neque personaliter, nisi persona domini adsit proficisci tenentur. Semper tamen ratio habenda est facultatum prouentuumque feudi, moris Curiæ, ac regionis, & causæ ob quam feuda inuenta. apud Lombardos de modio 12. denarij, in Theutonia fructuum pars tertia,

tertia, *l.2.feud.tit.* 40. *§.similiter.* & deinde dimidia, *l.2.tit* 55. *§. firmiter.* tribuebatur, hostenditia ea subuentio vocabatur, quasi ab hoste: tametsi non tutelæ tantùm, sed & honoris causâ comitatus faciendus esset. *l. 2. tit.* 52. *§. vlt.* Romam scilicet, cùm Longobardi adhuc cum Romanis bellarent, vel cùm suscipienda ibi Corona postmodum fuit.

Feuda quamuis nobiles titulos præ se ferant, apud nos non nobilitant possessorem, imò magni tituli extinguuntur, cùm feudum in manum ignobilem venerit. E. *14. Septemb.* 1614. quod intelligo per emptionem aut aliter quàm successionem; vt si mater ignobili nupserit, & ex ea nepos succedat auo.

Alienatio feudi & pignoratio iure feudorum vetita est. *c. 1. de prohibit. feud. per Frederic.* nisi domino consentiente, nec in iudicati executionem capi potest nisi ipsa commoditas vtendi fruendi. *arg. l. commod. D. de re iud.* quod Cameræ placuit. Gail. *1. obs.* 197. *num.* 2. cuius executionis effectus finitur redeunte feudo ad dominum aut agnatos. Gail. *ibid. num.* 5. & hæc iure quidem, atque in Imperio: sed in Gallia, & ferè apud nos, præsertim in Brabantia, patrimonialium & allaudialium vice sunt, distrahuntur agnatis non requisitis, & domino inuito. In Flandria non æquè. sed assentiente agnato proximo, vel iuratâ paupertate, & annuente domino.

Feuda igitur multis locis per mores inter viuos alienantur, sine domini consensu. qui acceptis laudimiis alterum inuestire tenetur, qui per se aut substitutum seruitia præstet, vt domino nihil decedat. quippe cùm hodie onera feudalia rei potiùs cohæreant, quàm personæ: cùm Iure Longobardico vasalli æstimarentur non tã ex possessione rei, quàm contractu, pacto, iuramento, tamquam voluntarij subditi: vt incolæ alicuius regni, etsi nihil à Rege possideant, personali tamen obligatione subiiciuntur. Vnde populus, qui à Regis obedientia desciuit, si ditionem suam feudi nomine à Rege possidere profiteatur, conuenta obsequia per substitutum præstiturus, valdè mutat causam subiectionis, cùm priùs personaliter omnes &

singuli de populo necterentur, nunc reali tantùm causâ, vt diximus generatim feudorum ferè causam hodie realem esse: & docet Gudelin. *de feud. p. 4. c. 2. n. 17.* post Charond. *l. 5 resp. 60.* Choppin. *de doman. Franc. l. 3. tit. 19. n. 2.*

In Flandria tamen E. 27. *August.* 1460. 25. *Febr.* 1537, 23. *Iun.* 1552. specialiter decretum est, vt nemo feudum vendere possit, sine indulto Principis: vt illud non concedatur, nisi cum clausula, vt emptor magis immunis sit à confiscatione, quàm venditor: vt iura dominicalia exactè petantur, & rationes & reliqua reddantur. Vt indultum hoc à Camera computuum Insulensi, vel à Concilio Flandriæ detur. Vt indultum non nisi detur ad pignorandum feuda à Principe releuantia, & Communitatibus ob legitimos sumptus factos à territoriis, pagis, ob lites, reliquationes, Ecclesiarum, pontium, veterum operum reparationes, non nouorum exstructiones, assisias aut impositiones: nec exigi hæc possint vnà cum subsidiis.

Rursus vt iure feudorum alienatio inhibita est vasallis, ita & dominis: sed vicissim vt per mores inuito domino feudum vasallus alienat, ita & dominus inuitis vasallis. & cùm hæc omnia realia sint facta, vasalli emptorem in consequentiam possessionum sequuntur. Gudelin. *de feud. p. 4. c. vlt in fin.* sicut glebam asscriptitij. *l. 2. C. de agric. & censit.* & prædium seruitutes. *l. cum fund. D. commun. præd.*

Alienationem amissio imitatur. amittit iure feudum vasallus, nisi à domino inuestituram petat. *l. 2. feud. tit. 24. 40. 55. §. præterea si quis.* multò magis si dominum neget, & feudi conditionem inficietur. quod vltimum & mores seruant; etsi non æquè rigidè primum; sed tanto vasallum tempore fructibus priuent, quanto dominum neglexerit.

Sed & dominus si vasallum malè exceperit iure suo excidit, ob dominique crimen vasallo fundi proprietas consolidatur. *tit. Qualiter dominus feudi prop. priu.*

Vasallus igitur ob ingratitudinem feudo excidit. si tamen tergiuersatione factum obscurare, aut Iuris vmbram prætendere velit

velit vasallus, declaratoriâ opus est. *arg. c. cùm secund. de haeret. in 6.* & auctoritate Magistratus ad possessionem adipiscendam. *l. 1. feud. tit. 22. §. vlt.* sed si vacuam possessionem dominus inuenerit, factum, & ius euidens fuerit, & citra periculum armorum, in vim directi dominij sui potest dominus modis omnibus feudum in vsus suos redigere. *l. 2. feud. tit. 55. §. firmiter.* vnde post amissum feudum illud inuadens tamquam violator pacis punitur. *l. 2. feud. tit. 52. §. quicumque.* & dominus feudo aperto manum iniicit, possessionemque ingreditur ob neglectam inuestituram, non exspectatâ condemnatione. Molin. *ad consuet. Paris. tit. 1. §. 1. Glos. 4.* & si fructus ante inuestituram post manum domini iniectam vasallus vsurpet, grauiter punitur. Molin. *d. tit. 1. §. 19.* & vice versâ, si dominus vasallo iustitiam non facit, potest vasallus eum deprædari. *l. 2. feud. tit. 22. §. si vero vasal.* Vt sanè à moribus admissæ sunt stipulationes, vt in his, ita & in emphyteusibus: si emphyteutæ defecerint in solutione canonis, vasalli in præstatione obsequij, liceat dominis iure suo, Iudice non adito, fundum suum ingredi. quod tametsi obsistente aduersario aliquando non liceat, non accidit defectu iuris viriúmve pacti; sed extraneâ circumstantiâ, quæ etiam vetat dominum, qui rem suam inuenit ab alio occupatam, armis vindicare. possessionem armis defendere licet, repetere non licet.

Quò minùs feuda amittantur, minuantur, præscribantur, dominíve iure suo excidant, seriò decretum est 27. *Aug.* 1460. vt omnes vasalli catalogum edant suorum feudorum, designatâ quantitate, qualitate, limitibus, iuribus, seruitiis, operis, feudis subuasallorum dependentibus: idemque suis dominis præstare teneantur subuasalli, & cogi pœnis à suis dominis, & hi apprehensione feudorum: & fiant exacta registra, quæ cum veteribus conferantur, quibus si quid defuerit, diligenter inquiratur. & rursum 23. *Iul.* 1594. iussum, vt omnes vasalli feudorum catalogum, limites, iura, seruitia, subfeuda descripta ferant ad Curiæ suæ feudalis præfectum.

Præscri-

Præſcriptio feudorum admodum difficilis eſt, cùm nō liceat mutare cauſam poſſeſſionis. *l. ſi quis conduct. C. locat.* ſed neque præſtationes domino debitæ, ſi pluries certo nummo redemptæ fuerint; ideò præſcribuntur, vt eo inuito illo ſemper ſolui poſſint. Jud. Chriſtin. *vol. 2. d. 95.*

Cauſæ domini & vaſalli à paribus Curiæ cognoſcuntur, ſed Iudices vaſallos poſt ſententiam ad ſuperiorem Curiam appellatos ire decretum eſt, *tit. 22. §. vlt. l. 1.* rationem vtique ſententiæ reddituros. ſicut in Belgio & Gallia Iudices quaſi primariò, aduerſarij ſecundariò ad defendendam ſententiam citantur: tametſi reuerà defenſio magis partibus incumbit, neque iure neceſſarium eſt Judicem citari. Rebuff. *ad Conſt. Regias in præfac. trac. de appell. n. 31. & ſeqq.* niſi ex profeſſo animosè aduerſus eum agatur tanquam qui dolo, nimiâve imprudentiâ litem ſuam fecerit.

In Flandria porrò ſingularis ordinatio data eſt 19. *Maij.* 1618. continens modum procedendi, ſtylum, iura, atque ſalaria Curiæ feudalis Flandriæ, quam Cameram legalem vocant. quam vti & Cameram Renengorum ſeu Hofredeningam, à pluribus ſæculis in Flandria ſupremam, & Soueranam fuiſſe rectè tradit Damhouder, *prax. ciuil. c. 5. 6. 232.*

De feudis Batauis latè Grotius *in Iſagoge Iur. Holland. l. 2. p. 41.* Chriſtinæus de multis diuerſarum regionum *vol. 6.* Gudelin. vniuerſaliùs *tractatu ſingulari de feudis.* Sed quia variatur vbique admodum hæc materia; ſpeciales feudorum leges cuique ſuo loco ſunt excutiendæ. & apud nos Conſtit. Caroli V. data 15. *Nouemb.* 1531. & Philippi Boni 1446. dicitur etiam hîc ſæpiùs iudicatum, feudorum vſus ſeu ius commune feudorum non aliter hîc ſeruandum quàm rationi conſonet: & locorum conſuetudines generales etiam ad feuda extendi, quando conſuetudines feuda non excipiunt. Chriſtin. *vol. 1. d. 268. n. 7.* pleniùs *vol. 1. d. 284. 299.* Apud Brabantos plerumque obtineri ſolet & promiſcuè conceditur facultas de feudis teſtandi. quam ſingulari tractatu *de licentia teſtandi*, quæſtioneſque circa eam

eam occurrentes explicuit Kindtſchot. an teſtator illius mentionem facere debeat, an vaſalli eam poſſint concedere, an eâ non obtentâ diſpoſitioni defuncti hæredes poſſint contradicere, an ſi contradicturum teſtator ex aliis bonis tantò minùs capere iuſſit obſeruetur voluntas, an licentia à Duce Brabantiæ obtenta proſit quoad feuda in Brabantia quidem ſita ſed à vicinis Principibus releuata, an in feudo mixto & irregulari licentia ſit obtinenda, an formula ſanet teſtamenta ſolo chirographo teſtatoris firmata, an facta in vim huius facultatis diſpoſitio impediat proprietatis deuolutionem conſuetudinariam ſoluto matrimonio.

LIBER V.

De ſponſalibus, & matrimonio.

SPonſalium, matrimoniorumque libertas nouiſſimè à Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de matr. c. 1. & 9.* aſſerta eſt. vt nec filiifamilias à parentibus, nec ſubditi à dominis, aut ſuperioribus, ſiue ciuilibus ſiue etiam militaribus, vt nuper S. Congr. Concil. Trident. Interp. declararunt, quomodocumque impediri poſſint. & comprehendit *d. c. 9.* omnes cuiuſcumque gradus, dignitatis aut conditionis exiſtant, (vt verba ſonant) adeoque Reges & Principes & eo ſanguine ortos. Ideoque quamuis tutor pupillam iure nec filio deſpondet vxorem, *l. tutor. D. de ſponſal.* nec rector prouinciæ ſubditas, *l. vnic. C. ſi rector prouinc. ſponſal. ded. arr. l. vn. C. ſi quacumq. præd. poteſt. ad ſuppoſitar. ſua iuriſd. nupt. tentan. aſpir.* tamen canones, & illis nixi mores hoc matrimonij libertati conceſſerunt. nihilominus & alicubi locorum ſtatutis aduerſus huiuſmodi tutores cautum eſt. non quidem impedimentum ſtatuendo, quod ſoli Eccleſiæ non laicis competit, nec verba in ipſum matrimonium dirigendo, ſed in factum tutoris, præſumptam fraudem, &c. quod & facit ipſa *lex, ſi tutor. C. de interd. matr.*

Rurſum quia tutor perſonæ, curator bonis datur; curator nuptias adultæ impedire iure non poteſt. *l. ſciendum. 20. D. de ſponſal. l. in copuland. D. eod.* tamen tutori maior auctoritas videtur dari, *arg. l. 1. C. eod.* ſed iterùm hodie Mamburni tutorum & curatorum officium peragunt, & iidem manent vſque ad maiorem ætatem. ſed & per canones matrimonij libertatem impedire non poſſunt: ſed ex E. 4. *Octob.* 1540. *& 23. Nou. 1623.* minores ciuilibus pœnis coercentur, ſi neglectis Mamburnis, ſicut filiifamilias ſi contemptis parentibus matrimonium inire præſumpſerint. ſiquidem Carolus V. priori Edicto prohibuit, vt nemo ſollicitet, aut abducat filiam viginti annis minorem, promiſſis matrimonialibus, aut de facto matrimonium cum ea ineat, citra conſenſum patris,aut matris, proximorumque conſanguineorum, ſi illis careat, aut demum Magiſtratus. alioquin nullum donarium, aut quodcumque lucrum in vim matrimonij, conſuetudinis, teſtamenti, donationis aut quomodocumque ſuper bonis filiæ lucretur. tametſi poſtmodum matrimonio conſummato ſuperuenerit conſenſus parentum, conſanguineorum aut magiſtratus. ſimili pœnâ innodetur mulier, quæ iuuenem vigintiquinque annis minorem ſeduxerit.Nemo huiuſmodi matrimoniis interſit, conſentiat, coniunctos hoſpitetur, ſub pœna centum florenorum, ſeu graui arbitrariâ. Notarij contractus aut promiſſa huiuſmodi non ſcribant, ſub pœna priuationis, & arbitrariâ. Fiſcales animaduertant diligenter,vt huius ordinationis tranſgreſſores ſine conniuentia puniantur. Sed edictum hoc ferè agit de ſpecie raptus & clandeſtinis matrimoniis, quæ dolis & malis artibus concilientur, in quas fertur, & iis pœnas proponit.

Philippus autem IV. poſteriori edicto prius illud innouauit, decreuitque, vt filiifamilias minores vigintiquinque annis, qui inſciis aut inuitis parentibus, & omnes minores qui ſine conſilio & conſenſu proximorum conſanguineorum, paterni & materni lateris, & tutorum ſeu curatorum cuiuſcumque ſint qualitatis,contraxerint,incapaces ſint omnium lucrorum,

rum, quæ directè vel indirectè alter ab altero petere posset, per conuentiones, donationes inter viuos aut causâ mortis, testamenta, successiones, consuetudinem, seu alium quemcumque modum; declarando irritas quascumque conuentiones & donationes in alterutrius vtilitatem pactas: eaque dispositio vigeat, quamuis posteà parentum consensus superueniat.

Possint huiusmodi etiam filiifamilias à patre & matre exhæredari, nec recipiatur querela sub prætextu legitimæ, dotis, alimentationis, aut consuetudinariæ deuolutionis, quoad bona profecta à latere superstitis, qui ex eis filio inobedienti ius adimere poterit; non aliis tamen, quibus ex eadem deuolutione ius aliquod debitum sit.

Non comprehenduntur eâ constitutione filiifamilias maiores vigintiquinq; annis, dummodò cõsiliũ patris & matris requisierint. sed neq; ij quorũ matres ad secũdas nuptias cõuolauerint. quibus duobus casibus consensum exspectare non tenentur.

Et verò casus hoc Edicto prohibitos existimo nihilominùs iuxta præfationem referendos ad Edictum anni 1540. quod parentum dissensum ad censuram Magistratus remittit: qui rationes exiget: quæ si legitimæ non fuerint, Magistratus officium supplebit: & auctoritate suâ contrahendi facultatem faciet, & pœnæ eximitur quòd auctore Iudice fit.

Sub Magistratu tam Ecclesiasticum quàm ciuilem accipio: quò magis edictum constet nollè aduersari *c. 9. sess. 24. de mat.* Trid. anathema statuenti ipso facto incurrendum per eos, qui quouis modo directè vel indirectè minis & pœnis subditos suos, vel quoscumq; alios cogunt, quò minùs liberè matrimonia contrahant. præsertim cùm id sit Iuris communis, inciuilẽ parentum detrectationem ad Magistratũ remittentis. *l. 19. D. de rit. nupt.* quod eò magis apud nos rationabile est, si apud Batauos ministri hæretici hac in parte vicẽ Magistratus obeunt. Grot. *in Isagoge Iur. Holl. l.* 1. *p.* 5. ad vitandas tamẽ calumnias suasero, vt ciuilis etiam Magistratus iudiciũ interueniat. Pœnæ Edicti 1540. *&* 1623. graues sunt admodum, si non reflectantur ad mentem

Ecclesiæ,quam ibidem Trid. *c.* 1. explicat; scilicet matrimonia clandestina, & à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, quamuis rata sint, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit: vnde punibilia quidem apud nos ciuiliter hæc matrimonia semper sunt habita,nō tamen irrita:etiam apud Batauos.Grot.*ubi supra.*

Igitur dum se casus offert, qui in Ecclesia præsident adeundi sunt, an ad illas causas spectet vt Ecclesia illum detestetur, & prohibeat; an verò iuuandi sint iuuenes censurâ superiorum, aduersus parentum sæpè insolens & irrationabile imperium: quod non proficiscitur ex præcepto 4. Decalogi, cuius interpretatio ad Ecclesiam pertinet; & in quo edicta fundantur, ac sæpiùs honoris & obedientiæ parentibus debitæ mentionem faciunt: ipsumque E. 1623. *ar.* 2. apertè significat non agi aduersus ipsum matrimonium, sed puniri inobedientiam ac irreuerentiam filiorumfam. quæ separata sunt.

Negat Grotius *in Isagoge Iur. Holl. l.* 2.*p.*11.per minorennium matrimoniū inuitis parentibus initum induci bonorum communionem: quod nostra edicta non dicunt:sed quodcumq; lucrū negant dumtaxat,doarium consuetudinarium,aut conuentum. quòd si tamen communio sit lucrosa, v. g. aliquibus locis. bonorum ab altera parte illatorum, sine necessitate reuersionis ad latus vnde profecta sunt, vt solet in societate sors cuique sua restitui, tum recipi. Grotij opinio potest ob rationem & verbum *lucri*, quo vtitur edictum: sed quoad communionem coniugalium operarum, ex eaque societate prouenientium lucrorum, eò nec ratio nec verba edictorum spectant: atque ita manebimus in Jure consuetudinario expressè non correcto.

Libertati matrimonij etiam aduersatur pœna: inhonestum enim visum est vinculo pœnæ matrimonia constringi siue futura siue iam contracta. *l. Titia.* 134. *D. de verb. oblig.* consentire videtur *c.gemma. x. de sponsal.* Sanchez *de matr. lib.* 1. *disp.* 30. Autommus tamen *in Censura ad d. l. Titia.* pœnam sponsalibus adiici contra bonos mores hodie non esse existimat; quia pudor repudio

pudio oneratur: pœnam tamen à Iudice definiendam. & ita iudicatum ait Burdeg. *ann.* 1584. & Sanchez *vbi supra n.* 15. à fidem violante damnum repeti posse, quamuis non in vim pœnæ adiectæ, tamen ratione iniustitiæ admittit. & *n.* 9. laudat Tiraquellum qui tradit valere stipulationem pœnalem aduersus repudium, lege Euangelicâ iam non permissum. & verò non satis mihi facit cur non idem in sponsalibus validis sit recipiendum, à quibus per canones resilire non licet; & sponsi nolentes per censuras coguntur; cùm per leges liceat ea dissoluere. *l.* 1. *C. l.* 10. *D. de sponsal.* & sanè *d. c. gemma* loquitur in sponsalibus dumtaxat impuberum, quæ illos non arctant. tamen quoniam hæc sententia aduersus eam est quam Sanchez dicit omnium, examine eget, si quando res postularit: cessare tamen pœnam non dubito vt accessoriam; quibus ex causis sponsalia iustè soluuntur, aut censuræ locum non habent, nec maligna est contumacia, ex Iudicis inter libertatem matrimonij & promissi fidem arbitrio.

De ritu nuptiarum.

Ritus nuptiarum substantiales præscripsit Conc. Trid. *sess.* 24. *de matr. c.* 1. vt coram parocho proprio, & duobus saltem testibus ineantur: denuntiationes, benedictiones, aliosque laudabiles ritus in quaque regione consuetos retineri voluit: sed eorum omissio matrimonij substantiam non vitiat: & ritus quos insuper exigit Euaristus *in c. aliter* 30. *q.* 5. substantiales non sunt, sed qui magnum Sacramentum deceant.

Pridem obsoleuit ritus ducendi vxorem vsu, farre, coëmptione, vt & testamentorum vsus per æs & libiam, & emancipationum imaginariæ venditionis ritus, vetustatis memoriæ; aliaque id genus. Solet hodie inter ritus populares etiam conuiuium nuptiale affectari: sed quia nonnulli excessiuum numerum conuiuarum inuitabant, cautum est E. 7. *Octob.* 1531.

ar. 28. vt qui nuptias celebrant, personas tantùm proximas viginti inuitent, & vnicum diem durent, ac sequens prandium: qui secùs faxint, viginti florenos singuli luant. quod E. 10. *Decemb*. 1611. renouatum est, sed extensum ad quadraginta paria. sub pœna quòd tam sponsi, quàm conuiuæ mulctam 20. florenorum incurrant: cum declaratione quòd Magistratibus aut officiariis facultas desuper dispensandi tributa non sit, & dispensantes ipsi ad 25. florenos mulctentur. Iterumque E. *vlt. Decemb*. 1613. Principes idem vetuerũt restricto numero ad 32. paria, cum prorogatione ad secundum diem, sub pœna 20. florenorum, quam sponsi incurrent pro numero aut tempore excedente. Ad eumdem modum vetitum in exequiis conuiuas adsciscere: sed si qui amici aliunde aduenerint, poterunt à superstite & hæredibus moderatè excipi; alioquin ad arbitrium Iudicis pro ratione excessus mulctandis.

De secundis nuptiis.

SEcundas nuptias multæ leges pœnis prosequuntur. tempus luctus, vltimis legibus annale, prioribus decem mensium, *l. 2. C. de secund. nupt.* per canones abrogatum est *c. penult. & vlt. x. d. tit.* quod moribus sequimur ob sacræ paginæ auctoritatem: quâ D. Paulus post viri dormitionem solutam facit vxorem à lege viri, vt cui vult nubat in Domino. cessat ergo infamia. non tamen cetera legum statuta, quæ non tam nuptias ipsas respiciunt, quàm fauorem liberorum. ne quid ei ex vitrici aut nouercæ seciore affectu derogari possit. quod in Gallia seruari testatur Boër. *decis.* 186. & apud nos etiam edicto cautum est *anno* 1611. *ar*. 28. non enim mens D. Pauli fuit aliquid corrumpere ex publicis legibus, iura parentum, & liberorum iustè moderantibus.

Multò magis sublatum est, ne mulier, quæ liberos haberet, secundum virum admitteret, quamuis maritus ab ea id stipulatus esset. *l. ambiguitates. C. de indict. vid. tolt.* vetitumq; deinceps subire huiusmodi iuramẽta, in quibus omninò peierare promptũ esset:

Non.

Nou. Const. de his qui iterant nupt. §. enimuerò quem deinceps. vt etiam legatum non amittat secundò nubens, relictum ne nuberet: aduersus *Auth. cui relictum. C. de indict. viduit.* Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll.* 112. sed neque ob secundas nuptias, ex *l. 1. C. vbi pup. educ. deb.* matri negatur filiorum educatio. Quin & olim pœnæ constitutæ erant cœlibatui; quæ amore virginitatis, & vitæ castæ sublatæ repeti deberent in eos, qui vinculum matrimonij oderunt, vt vagis aut focariis libidinibus diffluant. vt & præmia trium, pluriumque liberorum: quò magis Respub. legitimis ciuibus repleatur, domi sit fortis, & foris terribilis. Sic in Gallia nuper receptum arrestis Curiarum tradit Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll. 66.* vt immunitatem à tutela curatelaq; habeat, cui terni sunt liberi.

De repudiis seu diuortiis.

LIcuit olim post annos quinque absente marito alteri nubere. *l. vxor. de diuort.* sed id non permittit Auth. *sed hodie. C. de repud.* Leo. Imp. *Nou.* 33. *can.* 1. *caus.* 34. *q. vlt.* Senat. Burdeg. 14. *Aug.* 1591. minùs canones. *c. in præsentia. x. de spons.* nisi certo nuntio eius morte probatâ. Siquidem nullâ mariti culpâ vinculum matrimonij solui potest, quod Deus coniunxit: non ergo absentiâ diuturnâ, sed solâ morte. Ideoque D. Paulus eam non soluit à lege viri, nisi is dormierit. dormire ergo maritum probare debet, quæ alteras nuptias postulat. si falsis tamen rumoribus persuasa alij nupsit ordinariæ vindictæ non subest, sed si ficta mariti mors arguatur. *l. miles.* 11. *§. mulier. D. de adult.* Qua de causa cessant leges de repudiis. *c. an quod.* 33. *q.* 2. diuortium tamen ex causa fornicationis admittitur: sæuitiâ etiam, seu simili, quæ reductiuè ad illam spectare potest. nõ autẽ indistinctè ex omnibus relatis in *l. consensu. C. de repud.* ea enim lex corrigitur per *c. quæsiuit. x. de diuort.* quo etiam maximè sublatum est Iudicium de moribus, quod & leges abrogarant. *l. vlt. C. de repud.* vt ex causa criminis diuortium non liceat, nisi alter

fidei

fidei religionem corrumpere velit, *d. c. quæsiuit.* vel adulterium committat carnale, *c. ex litteris. x. eod.* vel ſpirituale, *c. de illa. c. quanto. x. eod.* vel nimia ſit ſæuitia, *c. 1. x. eod. c. litteras ex transmiſſa.* & ibi DD. *x. de reſt. ſpol. c. interfectores. d. l. ex conſenſu.* non partium lubitu ſed Eccleſiæ iudicio præuio. *c. ſæculares. c. admonere 33. q. 2.* Nimia autem eſt ſæuitia quæ ad periculum vitæ pertinet, ac aliàs ex arbitrio iudicis, quæ excedat correctionem patriam, *l. 4. C. de pat. poteſt.* eamque emendationem quæ marito, vt propinquis, *l. vn. C. de emend. propinq.* tributa eſt, & magis ſi excedat emendationem ſeruorum, quam ab ingenuis alienam dicit *d. l. ex conſenſu.* de qua *l. vn. C. de emend. ſeru.* quæ virgis & loris fieri ibi permittitur, ſed non fuſtis aut lapidis ictu. quemadmodum diſertè in *Auth. vt liceat matri & auiæ. §. ſi quis autem.* marito illicitum declaratur vxorem flagellis aut fuſtibus verberare. quòd tamen ob eam verberationem non permittitur ibi diuortium Belgicæ mulieres pro iure noſtrate nollent agnoſcere: ſed tamen non tam inſtrumenta ſæuitiæ, quæ ſæpè ad terrorem aſſumuntur, quàm ipſa crudelitas inſpicienda eſt, & mariti acerbitas, periculumque vxoris, & an ei cautio nulla ſufficiat. videri poteſt Sanches *de mat. l. 10. d. 18. n. 14.*

De donationibus inter virum & vxorem.

EDicto 12. *Iul.* 1611. *ar.* 28. vbi donationes inter virum & vxorem licent, ſiue per vltimam voluntatem, ſiue inter viuos, & liberi communes ſupererunt; ſi alter ſecundas nuptias iniuerit, ſi conſtiterit Inſtrumento publico beneficij nomine à defuncto bona ad ſecundò nubentem profecta, ita affecta liberis illis ea cenſentur, vt non liceat in ſecundam coniugem ex iis quippiam conferri.

De Iure dotium, societate coniugali, vxoria mariti tutela, pactisque dotalibus.

DOtium Romanarum, & donationum propter nuptias strictè acceptarum vsus euanuit apud Belgas; communio bonorum coniugalis ferè hæc absorbet doarium quod superstes ex bonis præmorientis lucratur, inter omnes per pacta aut consuetudines frequentatur. Gudelin. *Iur. nouiss. l. 1. c. 8. & 11.*

Communio porrò coniugalis bonorum morte soluitur. si tamen superstes diuisionem non fecerit, continuatur communio etiam superuenientium lucrorum, non tamen hæreditatum, donorumque. Busius ad *l. 59. D. pro soc.* vnde Antuerpiæ hæredes exigunt à superstite negligente duplicem synopsim; alteram bonorum, quæ fuerunt tempore quo solutum est matrimonium; alteram, quo agitur: iisque datur optio, vt dimidium sumant ex ea, quam maluerint. contra communes Iuris regulas, finitâ societate damnum tamen societatis sicut emolumentum communicantes. *l. verum. §. in hæredem, l. actione. §. si. in rem. l. adeò* vbi Busius. *D. pro soc.* quòd si superstes ad secundas vel vlteriores nuptias transeat, onus hoc secum transfert, eodemque maritum obligat vsque ad mortem suam aut diuisionem. sed vtrùm & hic post illius mortem, extinctasque primæ societatis coniugalis reliquias, in eodem onere maneat, & ad aliam exinde coniugem, & hic rursus ad alium reciprocatis fortè decies coniugum mortibus illud transferat vsque ad diuisionem, quæritur? consuetudo Antuerpiensis impressa *tit. 41. ar. 94.* negat coniugem ad plura Inuentaria teneri quàm duo, eorum bonorum quæ fuerunt tempore mortis primi morientis, deinde eorum quæ fuerunt tempore mortis superstitis ex primo matrimonio: non ergo eorum quæ exinde superstes ex officij fortè aut industriæ fructibus lucratus est. sed omninò eorum fructuum quos ex communibus bonis recepit, quid si pecunia

fuerit communis & mercatus sit? prædia quidem ex pecunia pupillari vel cum pupillis communi empta iure pupillorum fiunt, vel cum eis communicantur. sed priuilegium quidem id pupillorum est, non maiorum. sed an & eorum qui socij fuerunt & hæredum, an verò vt in aliis contractibus ad vsuras teneatur ex mora quondam socius, qui alienam pecuniam recepit? videri potest Glossa in *§. si in rem. v. quidquid.* & in mora esse intelligitur qui receptam non statim reddidit, & dicitur insignis Turba testata more Antuerpiensi continuari societatem vsque ad diuisionem, non obstante *d. ar.94.* qui prædictis addit, huiusmodi viduum vltimi ex primo matrimonio superstitis, vltra prædicta duo Inuentaria non teneri, nec eius bona attingi posse. sed fortè obseruauerunt contrarium hîc vsum.

In aliquibus sponsus pro marito est, sponsa pro vxore: non tamen id in bonorum communione inducenda, aut lucris dotalibus mores receperunt. & vix in coniugibus nuptiis præsenti consensu perfectis, si nondum copula sit secuta, aut saltem thori coniugalis ingressus. vt nec vsus sequitur *l. 16. C. de donat. ante nupt.* ex osculo sponsæ dimidiam sponsalitiæ largitatis concedentem.

Quoniam verò in pactis dotalibus & doariis non exigui excessus ab aliquibus committebantur; Principes E. *12. Iuly. 1611. ar.26. & 27.* ad illos restringendos ordinarunt, vt nuptias ituræ etiam sponsæ cuiuscumque qualitatis, & quicumque pro iis stipulantur eo contenti sint, quod consuetudines tribuunt superstiti, in bonis defuncti: conuentionalia tamen doaria ad certam summam annuam permittuntur; dummodò si quæ proles existent, non excedatur dimidia prouentuum immobilium.

Sed & quemadmodum E. *23. Nou. 1623.* clandestina minorennium matrimonia pœnis ciuilibus plectit, ita & clandestina pacta aduersus publicos contractus inita super dotibus & doariis, quæ fiunt insciis propinquis, aut alterâ parte: adeoque improbantur, vt publicis tabulis standum sit, & secreta pactio paciscentibus non suffragetur. quod & Senatuscon-

sulto

ſulto Pariſienſi probatum refert Annæus Robert. *Rerum iudicatarum, l. 1. c. 2.*

Alioquin pacta dotalia moribus maiorem efficaciam habent, quàm legibus: præſertim ad vltimas voluntates reſtringendas, aut diſpoſitiones hæreditarias. ſiquidem ex *l. pactum. C. de pact. l. hæreditas. C. de pact. conuent.* etiam in contractu nuptiali ſuper futura ſucceſſione irritantur; moribus ſuſtinentur: præualet in his conſideratio ſocietatis: qui contractus huiuſmodi pactum ſocietatis morte ſoluendæ admittere poteſt. Volunt tamen nonnulli illis tunc eos niti ſolemnitatibus, quæ in vltimis voluntatibus requiruntur. vnde hodie ex E. *12. Iuly 1611. artic.* 12. contrahentium, notarij, & teſtium ſubſignatione opus videretur, quatenus redolent vltimas voluntates, & futuræ ſucceſſionis pactionem continent. id quod tamen neceſſarium non videbitur, cùm ſuſtineri poterunt vt pacta ſocietatis.

Ad eamdem rationem moribus obtinuit, vt abrogata habeatur *authentica æqualitas. C. de pact. conuent.* & impares conuentionum leges ſuſtineantur.

Plerumque de acquiſitis ſtante coniugio, cui tota, vel pars cedet, conueniri ſolet, & ſoluto matrimonio diſputari, quò ſe vſque illa pacta extendant: & iudicatum eſt à Curia Parlamen. Mechl. apud Chriſtin. *vol. 2. deciſ.* 58. non deberi ea, niſi vt in ſocietate deducto ære alieno: vbi porrò de ſucceſſionum iure agitur, ea diſtinguuntur aduerſus bona iam ante matrimonium habita. porrò in ſocietate omnium bonorum veniunt hæreditates & legata: in quæſtum autem quæ operâ commercioq; ſociorum non alienâ liberalitate obueniunt *l. 9. D. pro ſoc. l. 16. D. de Iuſt. act.* quamuis adiectum ſit *& lucrorum l. 13. D. eod.* quod verbum tunc capit interpretationem ex priori. Autom. *in cenſ. ad L. 3. §. cùm ſpecialiter. D. pro ſoc.* poſt Cuiac.

Soluto matrimonio dos reſtituitur. ſed hodie non exſpectatur ex *l. vnic. C. de rei vxor. act.* annus; nec annua, bima, trima dies: ſed ſtatim reſtituuntur quæ exſtant. pecuniæ ſoluendæ

etiam mora non datur; si quidem mox dare maritus possit. plerisque tamen hîc locis sex septimanæ conceduntur, rebus cum defunctæ hæredibus supputandis, transigendis, & familiæ erciscundæ, seu communi coniugali diuidundo.

Fundum dotalem non præscribi; saltem aduersus vxorem, dum est in potestate viri, præscriptionem non currere iudicauit Senatus Paris. 5. *April.* 1558. præsertim cùm per mores vxor sit in potestate viri, actiones suas exercere non possit, adeoque impeditæ agere non currat præscriptio. quod consonat E. *1611. ar.* 29. computandi tempus restitutionis petendæ ex quo cessarit impedimentum iuris vel facti.

Quod verò Automnus *in Censur. l. vxor.* 55. *de don. inter vir. & vxor.* Iure Gallico beneficium ne maritus condemnetur, nisi in id quod facere potest ex *l. 12. D. sol. mat.* sublatum esse ait, hîc nemini scio abdicatum.

Rerum amotarum.

MVlier furtum in bonis mariti dicitur non committere, in *l. 1. D. de act. rer. amot.* propter pudorem. siquidem transacti matrimonij respectu non furata dicitur vxor, sed amouisse; lenitate verbi tristitiam rei mitigante. tamen in rei veritate furtum iure inest, cùm res aliena inuito domino tractatur. sed cùm hodie apud nos vera bonorum communio per matrimonium inducatur, verè maritus & vxor bonorum communium domini fiant; etiam fit vt parciùs ob id de furto censendum sit: sed & vt nec eatenus rerum amotarum, aut spolij teneatur vxor; nisi fortè quoad administrationem. quod his locis considerandum est, cùm fortè ob sæuitiam mariti vxor, vt fieri assolet, domo cessit, mundum muliebrem, cymelia, vestes suas, & de communi pecunia partem in necessitates suas contulit.

De

De concubinis.

DIximus in *Iur. Pont. nou. anal. tit. de cohabit. cler. & mulier.* hac de re ſatis. Id hîc tantùm referemus vetitum eſſe E. *4. Oct.* 1540. & E. *12. Iul.* 1611. ne quid minorennes ſuis concubinis poſſint relinquere. Denique mores priuilegia nulla hîc tribuunt concubinis, quæ leges ciuiles dabant: vt nec in Gallia: Bugnion. *leg. abrog. l. 1. ſ. 18.* & fortè deſinere incipiebant cùm Leo *Extrauag. conſt. 91.* vniuerſum vetuerat vt concubinam habere non liceret. rectiùs enim mores noſtri canones, qui peccatum è medio populi Chriſtiani tolli deſiderant, omniaque illius incentiua.

De naturalibus liberis.

NAturales cùm poſtulantur præſcripto legitimari, hîc E. *20. Oct.* 1541. *ar. 31.* vetat dari litteras legitimationum natis ex Eccleſiaſticis, religioſis, aut coniugatis; niſi de expreſſo Regio concenſu, & gratia ſpeciali: ob ſpecialem turpitudinem in his omnibus apparentem. tametſi non in omnibus æqualem: vtpote non ex æquè damnato per leges coitu natis. de qua re latiùs diſſeruimus *in Iur. Pont. nou. anal. de ſucceſſ. quæ ab inteſt.* quòd ſi ſacerdotes non tantùm fragilitate carnis victi liberos ſuſcitarint ex amica, ſed ſacrilegas nuptias adiecerint. liberi ex illicitis nuptiis nati neque naturales neque nothi ſunt, neq; ex donatione neque ex ſucceſſione quidquam percipiunt à patribus ſuis; ſed neque matres ipſorum. ſed ea omnia capit Eccleſia, in qua ſeruierint. ita habent verba *l. 44. C. de Epiſc. & cler.* quam citat Cuiac. *conſult.* 2. & ſuppleuit Contius in *Prætermiſſis in Codice ad fin.* ſed pro Eccleſia vſus fiſcum magis vocat in non profectis ab Eccleſia: ſed in Brabantia immobilia fiſco cedunt, mobilia is cum Eccleſia diuidit. *§. bona, in concord.* & huiuſmodi nuptiarum mentionem faciendam in legitimationibus puto, ob ſpecialem turpitudinem & pœ-

nas *d. legis* 44. quas non puto obtinere in presbyterorum filiis extra huiusmodi nuptias natis, per ea quæ latè vbi supra in Analysi: & in incestu valdè considerat Tridentinum *de reform. mat. c.* 5. tentatum de facto consummatumque matrimonium, supra carnis vitium fragilitate humana admissum: cuiusmodi matrimonium à sacerdote attentatum hæresim redolet, damnatam ab eodem Trident. *sess. 24. can.* 9. & specialiter insectatur Constitutio Leonis 79. Naturales hodie in rigore non accipiuntur per mores: sed intelliguntur quicumque ex personis liberis siue solutis nati sunt, siue concubina mater fuerit, siue non. Naturales an testari possint in Batauia disputatur Grot. *in Isagoge Iur. Holland. l. 2. p.* 15. Antuerpiæ ac fortè totâ Brabantiâ non possunt; nisi legitimas proles relinquant, aut Dux indulserit. Naturales non legitimantur hodie per oblationem Curiæ factam. vt *l. 3. l. 9. C. h. t.* nec si pater in testamento *suos* eos vocet, vt *Auth. si quis. C. eod.* sed solo matrimonio superueniente. *c. tanta. x. qui filij sunt leg.* vel Principis rescripto, vt *l. qui in prouin. §. 1. de rit. nupt.* quando autem Papa, inter consanguineos dispensat, vt matrimonio iungantur, & accessoriè legitimat proles, etiam antè natas; ea legitimatio in gratiam & consequentiam matrimonij recipitur; non si à Papa citra matrimonium, quoad sæcularia daretur. adeoque concessa intuitu matrimonij cessat, si matrimonium secutum non fuerit. Gutier. *de mat. c. 74. n.* 216. minus recipitur à Comitibus Palatinis, & Doctoribus viginti annis Ius profitentibus concessa. ex Gloss. *ad L. vnic. C. de profess. qui in vrbe Constant.* vt nec Notariorum ab his facta creatio. sed neque hæc à Papa facta in rebus sæcularibus, nisi à Concilio probetur. E. *7. Octob.* 1531. moribus etiam priuilegiisque naturales ab honoribus & officiis remouentur: secùs quàm *l. 3. §. 2. D. de decur.*

Cæterùm in postulanda à Principe (cuius in Brabantia hac in re auctoritate fungitur Senatus Brabantiæ) legitimatione, omnia exprimere oportet quæ in aduersum possunt Principem mouere: an quis naturalis sit, vel spurius, aut damnato

magis

magis ex coitu ortus. ſtylus tamen non habet, vt quis ſe dicat ex concubina natum. quia etſi peccata ſint grauiora, quò infelicem diutiùs animum detinuerunt; tamen quia concubinatus olim Iure ciuili non fuit damnatus, & hodie in rigore verborum rarus eſt, ſtylus ſoluti & ſolutæ mentionem tantùm facit. ſic & ex ſtupro natus, etſi Iure ciuili olim ille coitus erat punibilis, quia hodie tamen ſine vi admiſſus grauiter non punitur, exprimi etiam is non debet. Sed ea omninò ſunt exprimenda, quæ hodie ſunt matrimonij impedimenta, ob quæ inter parentes conſiſtere matrimonium non poterat. vnde ille *ar. 31. E. 1541.* quem initio citauimus, eſt natus. quin etiam ſi vtrimque ſint coniugati, aut alio nexu affecti, id etiam eſt explicandum, quia retardat gratiam Principis. Legitimati autem à Principe in feuda etiam ſuccedunt (quæ bonorum appellatione veniunt, & apud nos inſtar ferò patrimonialium poſſidentur) ſi, vt ſolet, id litteris diſpoſitiuè ſit expreſſum, quamuis non in incerta ſupplicatione, quòd ea vix porrigatur, ſed nomina tantùm, & ſtatus, quem diximus, ſupplicium: cætera ſecretarij ſuppleant ex formula. Non tamen ſuccedit legitimatus, ſi liberi extent legitimi: & litteræ cenſentur etiam ſubreptitiæ, ſi hos extare non fuerit ſignificatum, ad effectum ſucceſſionis. Ad quam etiam non admittitur aduerſus patris voluntatem: adeoque neque præteritus patris rumpit teſtamentum poſt legitimationem ſcriptum: cuius in legitimatione conſenſus non ad actus illius ſubſtantiam, ſed ſequelam ſucceſſionis, adeoque executionem legitimationis intelligitur requiri. Declaratum tamen fuit à Concilio Brabantiæ *an.* 1592. legitimatis prolibus hæredibus inſtitutis, fideicommiſſo vniuerſali grauatis, deberi legitimam liberam. Ab inteſtato autem patri (qui in eo conſenſu perſeueraſſe præſumitur) legitimatus ſuccedit, non obſtante clauſula litteris inſeri ſolita, *ſine praiudicio venientium ab inteſtato*: quæ non hoc ſpectat, ſed ne legitimatus illis, qui in legitimationem non conſenſerunt, ſuccedat. tametſi Conſuetudo Antuerpiæ ſecus.

secus dicatur obtinuisse, & secundùm eam DD. classici sentiant. aliique in aduersum etiam præterito permitant testamentum dicere nullum, & exheredato inofficiosum.

Sed an alia clausula litterarum quæ legitimato permittit de bonis suis etiam feudis testari, non secùs quàm si legitimo natus esset matrimonium, tam sit efficax, vt sine aliis litteris ad eam licentiam spectantibus id facere possit, non satis constat: Ego existimem ita efficacem esse. nam nisi id dicamus, verba illa, vt de feudis testari possit, erunt illusoria: beneficio autem Principis iuuari, non decipi nos oportet. neque obstat alioquin secuturum legitimatos plus iuris habituros, quàm legitimos; non enim id sequitur, sed per ius habebunt; cùm legitimi etiam facultatem testandi de feudis obtinebunt, vt hi per hanc clausulàm. neque enim prohibitum est vni chartæ plura simul Principis priuilegia inscribi, si modò disertis, vt hîc, verbis exprimantur. Denique legitimatus hîc à Principe animaduertere debet vbi litteras suas curet expediri; nam in Concilio secreto expeditæ quoad bona in Brabantia sita effectu carebunt, quòd ea prouincia illi non subsit, & lege patriâ nullum diploma illic sit efficax, nisi sigillo Brabantiæ munitum. sic in Brabantia expedita alibi difficultatem patientur: tametsi Brabantiæ Concilio subditus fuerit Orator. Quibus de rebus omnibus optimè Kindtschotius *tract. de legitimat.*

Sed vt legitimatus rescripto cum legitimis non succedit, sic legitimatus per sequens matrimonium contrà cum legitimis aliis succedit, non tantùm in bona generatim, sed & feuda & primogenia; quia legitimatus per subsequens matrimonium, in omnibus & per omnia est legitimus. *c. tanta. x. qui sunt fil. legit.* etiam quoad feudalia & primogenia. Cucchus *in Inst. maior. l. 5. de mat. n. 135. 140. 142.* etiam indistinctè: vt communiter per canonistas teneri tradit Panorm. *in d. c. tanta.* Et *ius istud*, inquit, *non requirit vt nullum matrimonium sit intermedium inter natiuitatem filiorum & contractum matrimonij, cum muliere illorum matre.*

Neque dici potest ius filiis intermedij matrimonij quæsitum

per

per ſubſequens matrimonium non poſſe auferri, quia nullum eſt quæſitum in bonis patris, viuo patre, de iure: (nam excipio conſuetudines vbi per matrimonij diſſolutionem proprietas bonorum etiam patris deuoluitur ad liberos) & cùm legitimitas ſit iuris poſitiui, non naturalis, nihil eſt mirum ius legitimandi per ſubſequens matrimonium etiam extendi ad eos, qui ante intermedium matrimonium nati ſunt: quia vt docet textus *in d. c. tanta.* & benè ponderat ibi Panorm. *ea eſt vis matrimonij.* neque dari ratio poteſt, niſi quæ iam refutata eſt, cur non eadem ſit vis & efficacia matrimonij, quando aliud matrimonium fuit intermedium, quàm quando non.

Odioſa quidem videtur hæc opinio, quando pater poſt honeſtum matrimonium ſolutum redit fortè ad veteres ancillares aut viles amores, & matre ductâ priores naturales legitimat, & hos vili matre natos dignis nuptiis ortis vult præferri; & ideò non pauci in contrariam ſententiam iuerunt; ſed hoc per accidens ita ſe habet, & caſus contrarij ſe offerre poſſunt. quæritur autem hîc ſine mundano reſpectu, quæ ſit vis matrimonij; & an eo impediri poſſit illa, quæ adſcribitur per *d.c.tanta.*

De tutoribus.

LEge XII. Tab. ad agnatos vt hæreditas, ita & tutela deferebatur. ſed nouo iure ſuccedunt cognati cum agnatis. *Nouel.* 118. vnde Cuiac. *ibid.* & alij in *Auth. ſicut hæredes C. eod.* ad tutelam cognatos vt agnatos vocari cenſent, quod mores probant. qui plerumque binos mamburnos, hinc cognatum, illinc agnatum legunt.

Mater & auia omnibus à latere cognatis præferuntur in tutela. *Nouel.* 118. *c.* 5. etiam mater auo; ſed tutrices eſſe permittuntur, non coguntur. *d.c.5. verbo, permittimus.* ſed permiſſæ renuntiant Velleiano, ſecundis nuptiis, & omni auxilio. *Auth. matri. C. quando nul. tut. off. fung.* generaliter & ſpecialiter; quamquam generalem ſufficere Bart. *ibid.* autumat. & ferè mores

matres tutrices sine vlla exceptione habent obligatas, & per secundas nuptias ipso iure tutelâ priuatas de re tota Bugnion. *leg.abrog. l.2. sect.* 12. & alicubi honoraria patris ac matris tutela eum fauorem habet, vt omnium bonorum vsumfructum conferat, donec pupilli peruenerint ad maiorem ætatem.

Tutela legitima ipso iure defertur; à Magistratu tamen vt decernatur mores requirunt; & constitutio Car. V. Augustæ *an.* 1548. adeò vt vis ea cesset quam Ius ciuile dat. tenentur tamen proximi adire Magistratum, vt tutores det. parenti superstiti plurimum defertur, quoad educationem & matrimonium minorennium: datis autem tutoribus defertur administratio bonorum.

Iudæi per mores hodie non Iudæorum tutores esse nequeunt, contra *l.* 15. *§. iam autem. D. de excusat. tut.* vbi alij veros Iudæos, alij Christianos intelligunt, vt initio à Gentibus dicebantur. Alciat. *3. dispunct. c.* 8. sic & Constitutio Pij V. *incip. aliàs.* & *c. nullus. c. omnes.* 28. *q.* 1. Iudæorum medicorum operâ vti nos vetat, si aliorum copia detur.

Non omnes olim tutores satisdabant. *§.* 1. *Instit. de satisdat. tut.* Carol. V. *an.* 1548. *tit.* 31. *Constit. Imper.* cautionem ab omnibus exigi iussit. ea ferè fit moribus sub hypotheca omnium bonorum. pauperem sed fidelem non remoueri traditur *l. suspect.* 8. *D. susp. tut.* quod quidem moribus negant obtinere. ergo existimem administrationi non admouendum, sed admotum nisi quid aliud accedat non remouendum.

Tutor donare non potest. *l.* 22. *D. de administ. tut.* nisi illustrium personarum. arg. *l.* 13. *D. eod.* & *c.* 1. *x. de donat.* vel solemnis sit consuetudo. *l. plures. §. cùm tutor. D. de adm. tut.* quamuis honesta causa sit, vt munus nuptiale insolitum matri pupilli. *l.* 1. *§. Præterea. D. de tut. & rat.* Per leges pecuniam pupillarem sub fœnore elocat tutor; per canones id non licet, neque per E. 1. *Iul.* 1587. §. 20. datum ad Synod. Camerac. 1586.

Tutoribus per mores solet esse inhibitum, ne litigent de rebus pupillaribus, nisi consulto Magistratu pupillari, sub pœna

luendi

luendi de ſuo expenſas, ſi causâ ceciderint. quod & in ædilibus & ſacrarum facultatum adminiſtratoribus Synodus Antuerp. 1609. *tit. 21. c. 25.* decreuit: procuratorem autem dare ipſi alioquin ante cauſæ initium per mores poſſunt, cùm per *l. neque tutores. C. de procur.* ante litem conteſtatam non poſſent.

Matrimonio per mores ſoluitur tutela. niſi ex cauſa iuſta à Magiſtratu erit prorogata. quod ſolet nonnumquam fieri, quoad diſtractionem ſaltem prædiorum; aut in iis, qui veniam ætatis à Principe obtinuerint: niſi iis diſertè ab eo ſit poteſtas facta alienandi etiam immobilia.

Tutor non niſi finitâ tutelâ rationes reddit. *l. in fin. D. de tutor. & ration. diſtrah.* ſed Conſtitutiones Principum & mores quotannis rationes reddi iubent. quod niſi fecerint, ac poſtmodum appareat negligentes eos fuiſſe in collocanda pecunia pupillari, ipſi in pœnam vſuras ſoluere iubentur. quæ quotannis ſorti adiungantur, & alias vſuras pœnales pariant. meritò, cùm tantum pupillis abſit, per eorum negligentiam. quæ non cenſetur excuſata, niſi quotannis Magiſtratum pupillarem acceſſerint, indicaturi ſe collocandi opportunitatem non inuenire: qui tum porrò decernit quod opportunitas ſuadet.

Magiſtratus conueniuntur in ſubſidium, qui tutores cauere non curarunt. quod moribus Germaniæ, & Galliæ abrogatum ait Gothofred. *Rub. C. de Magiſtrat. conueniend.* quod tamen recipiendum non eſt, ſi dolo egerint, aut culpâ dolo pari.

Inuitis adultis curator non datur, niſi ad lites. *§. 2. Inſtit. de curat.* hodie tamen mores proximis conſanguineis iniungunt, vt conſtitui curatores adoleſcentibus curent, & Magiſtratus municipales ſponte ſua conſtituunt: vt olim iuſſu aut monitu præſidis. *l. 5. D. de confirm. tutor.*

Virum vxori mente captæ curatorem dari non oportet inquit *l. virum. D. de Curat. fur.* ſed iudicatum ſecus Burdeg. *5. Maij* 1594. ait Automnus *in Cenſur.* & per mores ordinarius tutor eſt: ſed hoc caſu conſanguineum addendum putarem ob ea bona, quæ ſoluto matrimonio ad conſanguineos ſpectabunt.

De prædiis minorum sine decreto non alienandis.

QVi à pupillo rem comparauit, probare tenetur se tutore auctore, & Jure non prohibente emisse. *l. 13. §. qui à pup. D. publician. in rem act. l. 16. C. de præd. minor.* eodemque modò qui rem Ecclesiasticam emit, probare tenetur se ab iis emisse, quorum auctoritas necessaria est, eoque Iure non prohibente quod de rebus Ecclesiæ non alienandis editum est. cæterum iis probatis, quæ sic ad rei substantiam pertinent, cætera aduersario incumbunt. *c. si fortè. de elect. & electi potest. in 6.* & ita sæpiùs vtraque in specie à supremis Curiis memini iudicatum.

LIBER VI.

De seruis.

SEruorum vsus inter vtrimque Christianos obsoletus est, adscriptitiorum nonnullibi superest: eorum conditio annuâ inter viuos pensione, in mortuis honorario, quod cathalli optimi nomine apud nonnullos Flandrorum venit, redempta est. de qua latiùs Nic. Burgund. *ad Contr. Fland. consuet. tract. 15.* Famuli conductitij sunt: ita vt ea operarum locatio nihil libertati officiat, vt vix admittatur, vt ea in perpetuum fieri possit. gloss. *in l. post cert. C. de liberal. caus.* vt vendere se hodie homo in seruitutem non potest. quod & Leo *Extrau. const. 59.* vetuerat. Res bello captæ mobiles quidem hostium fiunt, non immobiles, nisi ex singulari delicto in fiscum redigantur. captiuorum vxoribus nec aliis nubere vel olim licuit. *Extrau. const.* Iustin. 33. & captiuus testari potest. *const.* 40. & ei filius hæres est. *const. 36.* aduersus *l. 1. C. de postlim. reuer.* & specialiter seruis Imperatoriis de rebus suis statuere permittebatur. *const.*

conſt. 38. captiui per mores non mutant ſtatum, iure ſeruitutis & poſtliminij etiam abrogato. quare nec hodie per captiuitatem interrumpitur præſcriptio, aduerſus *l. denique* 19. *D. ex quib. cauſ. maior.* monachi ciuiliter pro mortuis habentur, ſerui verè non ſunt: liberi hodie in patris ſunt poteſtate, ſed dumtaxat vſque ad matrimonium; niſi ſolemniter emancipentur, monaſterium ingrediantur, Sacerdotes ordinentur, magnâ dignitate ornentur.

Igitur E. 1152. Comitis Guidonis Flandriæ pro emancipatione ſeu manumiſſione hominum ſeruitiis & angariis Comitis Flandriæ obligatorum, à quibus ſemiſſis omnium cathallorum poſt mortem exigebatur, nunc quotannis vir denarios tres, mulier vnum pendit, & in morte melius cathallum: id eſt, *non domum,* inquit, *non armentum, ſed pecus melius de domo, vel aliud ornamentum,* idque quoad eos, qui *ſub propria Comitis Iuſtitia, ac demania, non autem aliena, quamuis in terra Flandria* commorantur: qui priſtino nexu tunc manebant obligati: ſed exinde & hæc penè vbique abolita, aut redempta. Jn aliquibus tamen locis reliquiæ ſuperſunt, vt iuxta *l. quemadmod. l. colonus. C. de agricol. & cenſit.* deſerere rura, canonem dominicum debentia non poſſint. quin imò bona naturâ libera in ſubſidium vocentur, quæ aliunde eis obuenerint: contra Galliæ, & plerarumque harum ditionum mores. Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *ſ.* 34.

Quapropter ſeruos in Gallia beneficio regionis liberos fieri; pluries iudicatum refert Charondas *du droict François. lib.* 2. *c.* 2. & apud Belgas eumdem vſum eſſe Iudicio Parlamenti Mechlinienſis conſtat. quod aliquando libellum domini ſeruum fugitiuum requirentis reiecit, quòd regiones noſtræ modò perſonalem ſeruitutem ignorent. vt adſtipulante Clenardo & Molano Gudelin. *Iur. nouiſ. lib.* 1. *c.* 4. & Pius V. Conſtitutionem edidit qua ſeruum baptiſmate ablutum, fieri liberum voluit, qui ſub tutelam ciuis Romani confugerit.

Quare hîc ferè ceſſat hodie omnis de ſeruis, adeoque & poſtliminio ſcripti Juris prudentia, quæque per tota illius volumi-

lumina serpit disciplina: nisi quatenus exinde probabilis argumentatio deducitur ad filiosfam. & monachos.

De testamentis.

IN causis acquirendi post mortem, quantum mores à Iure deficiant tradit Gudelin. *Iur. nouiss. lib. 2. c. 5.* vt hæredis institutio nonnullibi moribus necessaria non sit: vt testamentum vocetur, in quo legata tantùm reperiuntur: vt testatus, quis & intestatus decedat: vt ius accrescendi non obtineat: vt ex certo tempore, vel ad certum tempus hæres esse possit: vt exhæredatio liberorum necessario non sit: vt pupillaris substitutio non agnoscatur: an lex falcidia à moribus agnoscatur. *lib. 2. c. 11.* sed tamen hæc omnia non sunt omnium locorum.

In Brabantia liberrima est dispositio, & arbitrium cuique rerum suarum inter viuos, & per testamentum, vt etiam feuda viuus nec domino nec agnato consentiente alienet: testamento etiam ex indulto Principis.

In Flandria non æquè feuda, neque viuus non consentiente agnato, nisi iuratâ paupertate, abdicat: & testanti non æquè obuia est venia Principis. & verò aliarum rerum immobilium non est libera testantibus dispositio; quia trientem dumtaxat veteris patrimonij, acquisitorum autem hærediorum binum trientem dare legare licet.

In Batauia magna etiam est testandi libertas: quamuis non apud vicinos omnes, vt testatur Grot. *in Isagoge l. 2. p. 14.* vt in Geldria testandi facultatem sublatam (consuetudine enim tolli potest) refert Busius ad *l. 1. D. Qui testam. fac. poss. n. 7.*

Et Tacitus *de moribus Germanorum* testatur, ipsis testamentorum vsum fuisse ignotum. quem & in regno Daciæ non fuisse constat, ex *c. 2. x. de consuet.* ex verbis ibidem suppletis. neque à Pontifice id ibi improbatum. cùm nihil diuino Iuri aduersetur. In aliquibus hîc locis fœminis, vt sine marito contrahere

non

non licet,ita nec teſtari : alibi, & frequentius,teſtari ſine marito licet, etſi non contrahere.

Generatim quod formam teſtamentorum attinet, Iuris ſcripti ſolemnia hîc non ſeruantur, & in ſenectute Romani Imperij defeciſſe multum videntur. vnde in Conſtitutionibus Leonis legitur, *40. 41. 42.* vt captiui teſtamenti factionem habeant, vt in ciuitatibus quinque, in itineribus verò & agris tres teſtes ad teſtamentorum fidem ſufficiant, vt ſufficiens numerus teſtium teſtamentum ratum faciat; tametſi id neque illorum ſubſcriptiones neque ſignacula habeat. ſed mores receperunt ferè paſſim vt ea ſufficiant, quæ canonibus, *in c. cùm eſſes.x. de teſtam.* ſed E. *12. Iulij* 1611. vbi ij non ſunt emologati, oportet, vt teſtamento teſtator, teſtes, notariuſque, aut paſtor ſubſcribant.

Vbi porrò in loco domicilij & ſitus rerum mores erunt diuerſi, quoad libertatem diſpoſitionis, ætatem, formam & ſolemnia; opus erit ſequi mores rei ſitæ. Ex E. 12. *Iulij*. 1611. *ar. 13.* quod ad litteram obſeruandum eſt, quoad formam, vt non ſufficiat æquipollens. Chriſtin. *vol.* 2. *d.* 4. præſertim vt ſubſcribat teſtator, notarius, ſeu parochus, teſteſque. ſed neque ſcriptor poteſt in commodum ſuum quid ſcribere, quamuis dictante teſtatore. *l. Liuus. D. ad leg. Corn. de falſ.* edictum hoc latiùs examinaui *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de teſtam.* & Chriſtin. *vol.* 1. *d. 350. 351.*

Ita hæc obtinent, vt edicto tamen *ar.* 14. declaretur quòd huiuſmodi libertas eò vſque non porrigatur, vt bona per vltimam voluntatem, vel inter viuos dari poſſint tutoribus, curatoribus, inſpectoribus, adminiſtratoribus, vxoribus eorum, aut liberis durante adminiſtratione. vt pridem 1540. à Cæſare edictum fuit, omnimodò ſub pœna nullitatis, exceptis parentibus, auis, fratribus, & ſororibus, quorum vicino ſanguini alia qualitas non officit.

Sed tamen interpretatio E. 28. *Nou.* 1611. comprehendi declarauit etiam reditus hypothecatos & perſonales, domos, alia-
que

que bona naturam fundorum immobiliumq; sortientia; quamuis per mores locorum in familia diuidunda, seu aliàs mobilium iure censeantur quinimò neque donationes pro ratione hæreditatis, & meritis administratorum arbitrio Iudicis excessiuas esse admittendas.

Testibus quod voluerit testatos relinquere non prohibetur, *l. 22. C. de testam.* Id Automnus in *Censura* vult aduersari æquitati; ego fidem dono legato minui non dubito: & cùm septem testes leges requirerent, eos honorari non inconueniens adeò videbatur; hodie cùm duo per canones & mores sufficiant, non satis omni exceptione maiores viderentur, rectè; nisi fulciret eos publica notariorum fides, quæ tanti est hodie, vt fortunæ totæ illorum chirographo contineantur.

Enimuerò mandatur *ar.* 15. vt obseruetur edictum 6. *Dec.* 1586. adeoque nullæ clausulæ fideicommissorum, substitutionum, alienandi prohibitionum, similiáve onera res ipsas afficiant, nisi notificentur, & registrentur, seu in acta referantur Iudicis rei sitæ, curiæve feudalis, vnde dependent. quod ipsum curare incumbit ei, ad quem primò spectant commoda, ante initam bonorum possessionem; sub pœna committendorum fructuum ei, in cuius gratiam eæ clausulæ sunt adiectæ.

De clericorum testamentis satis diximus *in Iur. Pont. nou. anal. h. t.* & de consuetudine testandi de acquisitis ex beneficio; quam & refert diuersis arrestis etiam Curiæ Mechlin. aliarumque Belgicarum probatam Christin. *vol. 2. d.* 19. *n.* 6. De naturalium testamentis diximus suprà *de natural. lib.* & *Iur. Pont. anal. tit. de succes. quæ ab intest.* generatim dicendum est, posse debereque cuiuscumque generis spuriis patrem tantum relinquere, quantum in alimenta sit necessarium, secundùm qualitatem & facultates. *c. cùm haberet x. de eo qui duxit quam polluit.* sed ea pro natis ex solutis liberaliùs æstimari possunt, pro natis ex damnato coitu non item; quia ex decreto canonum naturale debitum tantùm consideratur, quod cùm solutum est leges ciuiles vlteriùs abrogatæ non sunt. In filio presbyteri Curia Flan-

Flandriæ aliàs reditum annuum surrogarat in alimento, bonis à patre ei relictis consanguineis adiudicatis. Curia Mechlin. ipsa bona ad vitam habere arresto permisit, congrua pro alimentis. Christin. *vol.* 1. *decis.* 161.

Fideicommissa, substitutiones, & alienandi prohibitiones, quæ per leges in infinitum licet extendere, per E. 12. *Iul.* 1611. ad tres gradus restringuntur.

Excommunicatus intestabilis à plerisque creditur. Gloss. *in c. decernimus. de sent. excommunicat. in 6.* sed id non tam quia ipse eâ inhabilitate affectus sit, quàm quia tam à Notario quàm testibus vitandis. vnde cùm hodie per Concil. Basil. non nisi denuntiatus, & clerici notorius percussor vitetur; in his solùm obtinebit. quin & de facto, si nec hi vitentur, sed coram notario & testibus testentur, actus non erit irritus. quin & Bus. ad *l.* 8. *D. qui test. fac. poss.* nec hæretico, nec reo læsæ maiestatis testamenti factionem interdictam moribus credit, nisi condemnatio secuta sit. Sed Carol. V. Edictis secundùm leges cauit iam ab ipso criminis incursu hæreticum pœnis teneri, etiam irritæ alienationis bonorum suorum. sed postmodum ob edicta illa interruptis commerciis, interpretatus est edicta de fraudulentis alienationibus. Haræus *in Belgij vniti princip. sub Car. V.*

Edictum est 6. *Decemb.* 1586. vt omnes hæredes intra quadragesimum diem à morte defuncti iis ad quos spectat exhibeant testamenta, codicillos, donationes causâ mortis, seu cuiuscumque vltimæ voluntatis instrumenta, vt omnes quid sibi debeatur perspiciant, & quamprimùm fieri potuerit soluantur, si ritè debeantur. sin minùs, quod iuris est fiat; sub pœna quòd qui celare ea conabuntur, pœnâ falsi ac dupli punientur: qui porrò citra dolum tergiuersati fuerint, mulctâ pecuniariâ, & eo quod partis intererit: omnes verò tabelliones, aliíve, qui testatorum nuncupationes receperint, intra eumdem terminum iis ad quos pertinet indicent eas seu loci Magistratui: sub pœna suspensionis, arbitrariæ correctionis, eiusque quod partis intererit: quòd si curiones instrumenta scripserint, post mor-

tem aut promotionem illorum, ea deferantur ad arcam, in illam rem vbique ſtatuendam, tribus clauibus claudendam: cuius ſucceſſor paſtor vnam pagatim, alteram prætor, tertiam ſcriba habeat.

Multi in patriis his conſuetudinariis, nominatim Brabantia, vſitatam negant Falcidiam aut Trebellianicam. alij in aliis aiunt. quin & legitimam & Trebellianicam ſimul deduci iuxta canones; tametſi leges non ita faueant. qua de re dixi *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de teſtam. n.* 21. & vtramque adiudicatam arreſto Cur. Mechlin. refert Chriſtin. *vol. 1. d. 315.* nec Trebellianicæ deductionem à teſtatore poſſe prohiberi. *d. 316.* Trebellianicam & Falcidiam in relictis ad piam cauſam ceſſare, quamuis non ſemper. *d. 320.* Paulus ſanè *lib. 4. recep. tit. de SC. Pegaſiano.* Falcidiam decerpi negat ex Deorum donis: etſi videatur aduerſari *l. 1. §. ad municipum legata vel etiam ea quæ Deo relinquuntur lex Falcidia pertinet. D. ad. l. falcid.* ſed ibi Cuiac. legit, *non etiam quæ, &c.* vt ſentiat cum Paulo. Antuerpienſium porrò mores, magis quàm videntur vicini, ad ius ſcriptum accedunt, & omnibus quartis locum faciunt.

De facultate teſtandi de feudis, quæ in Brabantia obtineri ſolet, tractatum ſingularem dedit Kindtſchotius, cuius ſumma capita indicauimus *ſuprà tit. de feudis.*

Vnde liberi, Vnde legitimi, & de ſucceſſorio edicto.

IN ſucceſſionibus ab inteſtato delatis non parum leges Romanæ & mores diſſident. Ordo naſcendi & ſexus nihil apud Romanos prærogatiuæ in bonis tribuebat: hodie in feudis maſculi fœminas excludunt, & primogenitus prærogatiuâ gaudet. quod & alicubi obtinet in aliis bonis immobilibus.

Naturales cognatos proximos iure heredes habent; ſed moribus fiſcus baſtardo ſuccedit: niſi à Principe teſtandi facultatem obtinuerit: alicubi teſtari ei licet, & inteſtato mater, & ex ea

ea nati succedunt: si liberos habet vbique heredes sunt. N. Burgund.*ad controuers.consuet.Fland.tract.*13.

Spuriis ergo Princeps hîc succedit, nisi liberos relinquant, matrem, aut fratres ex ea. quin & locorum domini nonnullibi id iuris obtinent. quod tamen arresto restrictum refert Bugnion.*l.* 5. *leg. abrog. cent.*23. ad tres circumstantias: vt spurij in eorum territorio sint nati, domicilium fouerint, & decesserint; cuiuscumque defectum locum facere Iuri Regio. Legitimatus autem à Principe succedit patri, & matri, qui in legitimationem consenserint; si modò soluti fuerint, inter quos poterat fuisse matrimonium; quamuis non fuerint naturales, ad rigorem nominis *in §. si igitur. in Auth. quib. mod. eff. legit. l. diui. l. cùm quis. C. de nat. lib.* qua de re latius egimus in *Iur. Pont. nou. anal. tit. de success. quæ ab intest. n.* 3.

Plerisque consuetudinibus immobilia paterna paternis, materna maternis seruantur: Iure Romano, originis bonorum ratio habita non fuit.

Sed & eo Iure ascendentes descendentibus succedebant: per mores vix id obtinet soluto matrimonio. Bonorum etiam collatio quatenus ob emancipationem inducta est, per mores cessat; quatenus ob æqualitatem, non minùs obtinet: atque adeò alicubi, vt nulli liberorum liceat aliquid præcipuum dare, nullum prædilectum filium habere; vt loquuntur.

Peregrini iure agnatos heredes habent. hodie in Gallia fiscus peregrinorum bona, si iure regni donati, seu naturalizati non fuerint, occupat; sed ab eo rigore pax Madritiensis Belgas exemit, cuius tamen obseruatio vix ea in re obtinuit. apud Hannones idem seruatur rigor aduersus Francos, aliosque qui vltra Scaldim sub eis fuerint: non aduersus Brabantos, Leodienses, Germanos. Gudelin.*Iur. nouiss. l.* 5. *c.* 10. N. Burgund. ad *contr. consuet. Fland. trac.* 14.

Iure scripto monachus monasterium heredem habet. sed E. 21. *Feb.* 1528. moribusque nulli professi, eorúmve nomine monasteria in vllas hereditates succedere, bonáve apprehen-

dere possunt (intelligo ab intestato ; nam ex testamento, quatenus immobilia non tangantur, nihil prohibere videtur) & professus, vt pro mortuo omninò sit ciuiliter; diximus latiùs supra *de Episcop. & cleric.*

Excipienda est Societas IESV, cuius religiosi vsque ad vltimam professionem sunt hæreditatis capaces; sed illâ factâ nullatenus, non ex edicto tantùm sed & ex suo Instituto. Quamquam E. illud concessum sit quatuor Membris Flandriæ, neq; in omnibus aliis prouinciis idem videatur publicatum : tamen ferè id plerorumque locorum mores habent: tametsi sciam alicubi non semel secus iudicatum, & pridem Euerard *cons.* 210. huiusmodi consuetudines oppugnet. Lætus Jntroitus Brabantiæ *ar.* 15. *add.* 2. pati potest interpretationem, vt immobilia titulo successionis monasteriis non acquirantur retinenda, non autem vetentur mobilia, pecunia, reditus redimibiles, (nam tales acquirere nummo 16.18.20. redimibiles anno 1516. & 1521. Ecclesiasticis in Brabantia concessum est) sed vereor ne vsus non satis suffragetur.

Iure Romano possessoria interdicta habet hæres. sed E. 25. *Jan.* 1524. iubet, vt quisquis in Flandria priuilegiati loci domo mortuaria hæredem fundare se volet, petitionem hæreditatis instituat coram Magistratu loci, non aliquod interdictum possessorium in Concilio Prouinciali.

Denique consanguinei ad decimum tantùm gradum supputatione ciuili succedebant ; præ reliquis succedebat fiscus: mores fisco locum non faciunt, quamdiu supersunt quocumque gradu consanguinei. sic & Regnum Galliæ Henrico IV. delatum agnatione deductâ à S. Ludouici progenie, quæ iam longè decimum gradum excesserat. neque recepta fuit argutia eorum, qui post eum gradum ad populum recidisse eligendi libertatem argumentabantur: sicut in priuatis deuolueretur successio ad fiscum.

Et ideò neque in Francia, Bugnion. *leg. abrog. l.* 5. *cent.* 17. locus est successioni, *vnde vir & vxor.* qui à remotissimo quoque consangui-

ſanguineo excluditur, nulloque apparente à fiſco: cui cedunt adeſpota. ſed neque vxori pauperi ex *Authent. praterea. C. vnde vir & vxor.* cedit quarta bonorum defuncti mariti locupletis, ſiue liberos habeat, ſiue non, neque hîc vllibi vſuueniſſe memini.

Sed & E. *5. Ian.* *1531.* ordinatum eſt, vt in territorio Waſiæ ſublata ſit conſuetudo, quæ nepotes à ſucceſſione patruorum & auunculorum, amitarum, materterarum excludebat: ſed in poſterum illi cum his admittantur per repræſentationem: quæ tamen non vlteriùs locum habeat in pronepotibus, &c. cum irritatione, ſi quid ſecus actum iudicatumque fuerit.

Quod E. *19. Maij* 1556. ita interpretatur, vt repræſentatio locum habeat etiam in vlterioribus gradibus, in territorio Waſiæ, vt in reliqua Flandria.

Filius cui legatum tantùm eſt relictum, præſertim legitimâ minus, per inoſſicioſi querelam facit locum ſucceſſioni ab inteſtato. Iud. Cur. Mechlin. apud Chriſtin.

Succeſſio hodie ita plenè defertur, vt & poſſeſſio continuetur à defuncto in hæredem ſine alia apprehenſione bonorum. *Le mort ſaiſit le vif.* ideoque non obſeruatur *l. cùm hæredes. D. de acquir. poſſ.* ſed neque tit. *C. de Iur. delib.* nec tit. *quor. bon.* & ſimiles, qui adipiſcendam hæredis poſſeſſionem aliquatenus ſpectant: ſed Regiâ viâ hæredi poſſeſſoria iudicia dantur, non ſecus quàm defuncto, quem etiam non in Iure tantùm, ſed & facto poſſeſſorio per mores repræſentat. & inde etiam traditur, hæreditatem non aditam, aut agnitam per mores tranſmitti: quia in momento mortis defuncti inueſtitur proximus hæres: adeoque neque interdicere fideicommiſſum morte hæredis.

De ſucceſſione in peculium clericorum etiam ab Eccleſia profectum tam teſtamento quàm inteſtato ſatis diximus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de teſtam.* teſtamenta quidem ritè condita ſeruari, inteſtatorum immobilia ferè paſſim conſanguineis, mobilia Eccleſiæ ſeu Epiſcopis, & Capitulis quibus ſuberant, cede-

 re,

re, etiam beneficiorum fructus nondum perceptos, pro rata transacti temporis.

De Iure deliberandi, & beneficio Inuentarij.

SVspectæ sæpè sunt viuorum, defunctorumque facultates; sæpè plus homines de iis sperant; quàm in illis sit: ideò ne adeundo eorum hereditates, aut se immiscendo, quasi contrahendo obligarentur heredes creditoribus, primùm eis datum fuit remediũ ac tempus deliberandi, adire hereditatem an repudiare, immiscere se an abstinere vellent scripti aut legitimi heredes, & quia adhuc post deliberationum spatia, ignota sæpè nomina emergebant, locupletius remedium Iustinianus inuenit, vt scripto bonorum Inuentario, vltra hereditatis vires heres non teneretur. Illud beneficium olim quisque à Iure habebat, nunc praxis introduxit, vt litteris Regiis concedatur.

Quoniam verò eo beneficio plures abusi sunt, in creditorum præiudicium; Principes nostri propiùs his prospexerunt; adeoque E. 20.*Oct*. 1541. constituerunt, vt qui hereditatem adire volent sub beneficio Inuentarij, litteras à Rege impetrare teneantur, atque infra dies quadraginta facere & perficere Inuentarium, atque exinde per expertos Iuratosque à Magistratu loci, sub quo est hereditas, deputatos, satagere vt res omnes æstimentur, cautionemque præstare de rebus probè seruandis, creditoribus legatariisque iustè soluendis, idque ante omnem apprehensionem: quam si ante hanc cautionem fecerint, pro heredibus simplicibus habeantur, sed eâ cautione præstitâ possessionem bonorum retineant. Liquidorum autem debitorum solutio non retardetur propter illiquida; sed creditores liquidi cautionem præstent de restituendo pro ratâ quâ oportebit, si illiquidi aduersus heredem obtineant.

E. autem 12. *Iulij* 1611. *ar.* 39. vt beneficium Inuentarij non porrigatur ad præiudicium creditorum, heredes teneantur

tur

tur impetrare litteras huiusmodi beneficij intra trimestre spatium ab excessu defuncti, & intra dies quadraginta à litteris impetratis Jnuentarium scribere, & perficere, & ante bonorum apprehensionem cautionem præstare super repræsentatione mobilium, & intra quinquaginta exinde dies à Iudice ad quem spectabit, obtinere litteras citatoriales, cum clausula requisitoriali quoad creditores ipsi non subditos, vi quarum prætorio ritu consueto affixis etiam programatibus citentur quicumque actionem aliquam aduersus defunctum prætendant, vt eam coram Iudice domicilij defuncti proponant, ac probent, certioratis etiam de re tota iis creditoribus, qui specialiter noti sunt personaliter, aut ad domum saltem, cum clausula pœnali, quòd quicumque ea in re defecerint, siquidem in his ditionibus egerint, intra sex menses, si foris intra annum à die publicationis actione excidant, tum quoad bona tum quoad pretium inter creditores distributum; sed ad residuum actio eis erit salua.

Facto proclamate præscripto omnia mobilia vendantur sub hasta Iudicis, omnibus ad licitationem admissis, plus offerenti; & pretium consignetur statim distribuendum inter creditores priuilegiarios, si qui fuerint: sin minus, inter eos, quorum nomina erunt clariora: sub cautione, si quid postmodum oportuerit, de restituendo.

Lapso anno exploratisque viribus hereditatis an simpliciter eam adire, an beneficium continuari velit, tenebitur heres declarare: priori casu, adiudicabuntur ei bona hereditaria, possessionemque retinebit sub onere debitorum soluendorum: altero mox Index procedet ad subhastationem publicam immobilium, vt pretium creditoribus tribuatur: nisi heres desideraret fieri eorum æstimationem, eademque excedat, aut saltem par sit quantitati debitorum: quo casu eadem poterit retinere, consignato mox pretio creditoribus tribuendo.

Possit etiam heres durante anno fructus bonorum recipere, atque etiam actiua nomina præstitâ cautione: lapso autem anno

anno, subhastatio, seu æstimatio vt suprà mox succedat.

Si quid eorum quæ hîc præscripta sunt adamussim non seruauerit, bonaque apprehenderit, beneficio excidat; & pro hærede simplici habeatur: inhibitâ omnibus Iudicibus in integrum restitutione, aduersus harum solemnitatum omissionem.

Si quis per vltimam voluntatem vbi libera est bonorum dispositio cauerit, ne hæres sub beneficio Inuentarij hæreditatem adeat, voluntas seruetur: dummodò ille non fuerit in gradu descendentium. quippe non est æquum vallatenus liberos hæreditate priuari: & tamen neque liberos neque seruos necessarios hæredes mores nostri agnoscunt.

Quin etiam clausula quæ litteris Beneficij solet inseri, dummodò nullus sit qui velit hæreditatem simpliciter acceptare, addita in gratiam creditorum & legatariorum, non excludit impetrantem alio iam apparente, quin & ipse tum possit simpliciter hæreditatem acceptare. Kindtschot. *resp.* 30. sed neque sub Jnuentario adiens posteà inutilis molestiæ pertæsus repudiare prohibetur, litteris Repudiationis in eam rem impetratis. Kindtschot. *Resp.* 31.

LIBER VII.

Qui bonis cedere possint, & de reuocandis his quæ in fraudem creditor.

SEcabantur, qui creditoribus satisfacere non poterant, apud veteres. mitigatâ eâ crudelitate datum priuilegium vt bonis cedere possint. apud nos illud beneficium obtinet: sed tamen aduersus plurium abusus per constitutiones creditoribus prospectum. In primis decretum E. 20. *Oct.* 1541. vt qui litteras impetrarunt ad cessionem faciendum, eas in Iudicio infra mensem offerant, vnà cum synopsi iurata omnium bonorum, eademque derelinquant creditoribus, dimissâ possessione; petântque decretum personaliter ipsi, nudo capite,

atque

atque discincti. Exinde, si melior fortuna successerit, bona derelinquant creditoribus: vnico lecto, & quæ eò pertinent retentis; vnoque ex quolibet supellectilium genere; vt tamen vasa, aut stannum retinere non possint. nisi ista fecerint, beneficio cessionis excidant.

Huiusmodi litteræ vim non habeant aduersus res iudicatas, obligationes sub sigillo Regio, Conciliorum, Magistratuúmve, vrbium priuilegiatarum, aut coram auditoribus Regiis, sub sigillo in id à Commissariis seruato; nisi ad inopiam deuenerint omninò citra culpam. E. autem 7. *Octob.* 1531. cauit vt fugitiui edictis domum reuocentur; nisi redierint perpetuò proscribantur, & nihilominus omnes contractus per fraudem initi, sint irriti, iisque vel quâcumque præuentione arrestorum, consuetudine, priuilegiis contrariis non obstantibus in concursum veniant omnes creditores. Iterùm, vt qui foro cedunt, & per fraudem ab aliis auferunt pecuniam, merces, nomina, habeantur, prout eos Imperator declarat, pro furibus manifestis, eorumque occultatores, & receptatores fraudis conscij, nisi eos officiario manifestent; & qui in rebus eorum fraudulenter versantur, aut cum fugitiuis negotiantur, vt socij, aut aliter creditores eorum se simulant, aut fraudibus eorum quomodocumque opem ferunt, omnes omnium locorum immunitatibus priuentur, extrahi possint, & conuicti publicè puniantur, sine conniuentia, ad exemplum, bona sequestrentur ad conseruationem iuris omnium creditorum.

Vt vxores quæ palàm mercaturam, & tabernam exercuerunt, debitis stante matrimonio contractis sint obnoxiæ.

Rigidè mandatur E. 4. *Octob.* 1540. vt constitutiones latæ super fraudibus eorum, qui cedunt foro, diligenter obseruentur. Quibus additur, vt debitores qui à loco sui domicilij aliò transibunt, solutione non factâ, bona sua celabunt, aut secretò in alios in fraudem transcribent, habebuntur pro furibus manifestis, quietis publicæ perturbatoribus, & publicis grassatoribus: mandatur omnibus Judicibus vt vbicumque repertos

 sine

sine vlla immunitate apprehendant, sine vlla figura Iudicij procedant, de fuga & fraude conuictos suspendio puniant: alioquin ipsi ad integra debita soluenda cogendi. Qua poena etiam tenebuntur, qui fugitiuorum bona celant, nec Magistratui indicant: qui cessiones recipiunt, aut simulatas supra verum debitum obligationes; & si non fuerint soluendo, laici fustigatione puniantur, clerici temporalium bonorum executione. Vxores quæ palàm cum maritis negotia exercuerunt, vt illæ sint obligatæ, omnes contractus postquam foro cesserint, remissiones aut prolongationes tamquam bono publico noxiæ sint irritæ, neque solemnitatibus vllis, iuramento seu litteris Regiis firmandæ, nec possint Iudices eas confirmare, earúmve in iudicando rationem habere.

Et quamuis huiusmodi fugitiui, creditoribus suis postmodum satisfecerint; pro admisso tamen semel delicto, Iudices eos vt suprà puniant, alioquin officio excidant; nec locorum domini possint saluum conductum in præiudicium creditorum vllis debitoribus dare. sed omninò teneantur iubere sisti, donec cautionem præstiterint; vxoribus mercatorum pro dote aliisque bonis verè illatis, vt mores permittunt, saluum esto ius prælationis. pro doariis autem & qualibuscumque lucris in præiudicium creditorum non competat: sed hi omninò præferantur.

Sed neque litteræ dentur, quibus creditorum pars aliqua cogatur aliis, qui remiserint debiti partem, se conformare. vt meminimus suprà de Pact. cessante per E. 4. *Octob.* 1540. *l.* 8. *D. de pact.* & eodem modo in Gallia iudicatum ait Automnus Burdeg. 25. *Ian.* 1608. dissentientes creditores ex aliorum pacto non obligari; & consequenter etiam cessare *l. Imperat.* 60. *D. eod.* vt potioris priuilegio cessante cesset cognatorum digniorum & maioris summæ prælatio. etiam vbi bona veneunt cesset *l. cùm bona. D. de priuil. cred.* & *l. rescriptum. D. de pact.*

Denique statuitur E. 3. *Ian.* 1541. vt litteræ cessionis committantur illi Iudici, cui optimè minorique partium vexatione

atque

atque expensa Jure committi possint debeantque.

Quæ in fraudem creditorum alienata sunt, viâ regiâ per leges reuocantur. per mores eam in rem litteræ Regiæ solent impetrari, vt in Gallia. Bugnion. *leg. abrog. l. 1. sat.* 59.

LIBER VIII.

De donationibus.

QVamuis puberibus testari permissum sit; tamen ob ætatis imbecillitatem, fraudibus aliorum obnoxiam cautum E. 4. *Octob.* 1540. vt omnes donationes inter viuos, aut causâ mortis, & legata à minoribus facta curatoribus, eorúm ve liberis, bonorum administratoribus, patrinis, concubinis sint irritæ.

Inter luxus quibus prodigè homines depauperantur, politicâ prouidentiâ vetitum E. 7. *Octob.* 1531. 30. *Ian.* 1545. vt ad fontem Baptismalem exceptis pauperibus donare nihil liceat; saltem non supra tres florenos.

De litigiosis.

VIx hodie litigiosi vitium alienationem impedit: sed ex tabulis legum Brabantiæ 1312. Officiarij aut Iudices res litigiosas comparare non possunt durante litigio. quòd & Constitutio Gallica vetat Carol. V. porrò quando necessitas aut vtilitas rem in Iudicium deductam suadet alienari, vt id fiat absque vitio, & pœna litigiosi, solet gratia Principis impetrari: sed vt ad cautelam scrupulosi id seruent, vulgares simpliciter hîc ambulant, & eâ omissâ confidenter.

De contrahenda stipulatione.

STipulationes hodie non frequentantur, nec earum est necessitas: ex pactis actio datur per mores; fortè ortos ex sententia interpretum, qui Iure Canonico ex nudo pacto actionem tribuunt, vel quòd magis fidei datæ in rebus licitis habenda sit ratio, quàm legibus verborum deferendum.

Absenti cuiuis per stipulationem, seu simplicem acceptationem promissionis notarij publici acquiritur. Papa *decis.* 49. & 222. vnde & secretarij oppidorum rectè pro absentibus stipulantur; & iis mediantibus nunc passim absentes in bonis immobilibus inuestiuntur.

De solutionibus.

SOla diuturnitas temporis non excludit debiti petitionem: nisi quæ sufficiat præscriptioni. de qua *sup. tit. de præscript.* sed tamen qui differt petere vsque ad mortem eius, quem dicit debitorem, suspectus est; & facilè accedentibus aliis indiciis contra eum iudicatur. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol.* 2. *d.* 113. vnde id Consuetudines Antuerp. ad Iudicis arbitrium remittunt.

LIBER IX.

De accusationibus.

OLim cum inscriptione de populo quilibet accusare poterat: hodie ea accusatio, & inscriptio, talioq; desiit. Denuntiare quidem flagitium licet cuilibet, sed accusare tantùm officiario publico. Sed neque denuntiatio fit eâ ratione ac fine, vt denũtiantem, nisi probet, obliget ad expensas, sed vt Euangelica sit: qualis *in c. fin. x. qui mat. accus. c. cum I. & A. x. de*

re-

re iud. & porrò Ecclesia illa expensa faciat, quòd ex re delinquentis sit ad correctionem, vt qui per se non potuit, per Ecclesiam lucretur fratrem suum. Qui denuntiat vt exinde Iuridicè contra delinquentem procedatur ad punitionem, & exemplum; is deficiente probatione per leges obligatur ad expensas: accusator autem publicus non solet damnari in expensas, nisi euidens eius calumnia sit. Jmbert. *Inst. for. l. 3. c. 2.* Damhoud. *prax. ciuil. c. 222. n. 7.*

Apud nos ante pauca sæcula accusatio adhuc frequentabatur. Vnde ex tabulis legum Brabantiæ 1312. qui alterum iniustè accusabat talionem patiebatur. sed eius rei vsus hodie desiit. quamquam in foro Ecclesiastico recipi adhuc possit ob Concil. Trident. quod *c. qualiter & quando. x. de accus.* innouat. *sess. 24. c. 5.* at neque vnquam id vsurpatum vidi: sed arbitrariam punitionem succedere; vt vsus arbitrarias fecit omnes ferè pœnas, præsertim non corporales. vt & in Gallia Bugnion. *leg. abrog. l. 1. sit 60.* vide infrà *de pœnis.*

Accusatis Iure Aduocatus datur, *l. per omnes. C. de defensor. ciuit.* sed mores patrocinia non admittunt, nisi reus antè ore suo responderit.

De custodia reorum.

LEges captiuos negligenter haberi seuerè vetant, *l. pen. C. h. t.* frequenter à Iudice visitari iubent. *l. vlt. eod.* ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur: noxius citò puniatur, innocens absoluatur. *l. 1. C. eod.* & custos singulis saltem mensibus Iudicem certiorem memoremq; reddat, qui, quà causâ, quâ valetudine, quâ ætate sint captiui. *l. fin. C. eod.* sed hoc vsus non præcisè seruat: vt plura alia: non aliquâ vernaculâ lege obstante, sed negligentia.

Quamquam Iure ciuili carcer inuentus non sit in pœnam, sed custodiam reorum; tamen canones in pœnam vtuntur.

c. quamuis. de pœn. in 6. & maximè mores, quin & sæpiùs edicta, & statuta.

De carceribus & carceratis amplissimè scripsit Farinac. aliique. Conciliorum apud nos Instructiones diligenter cauent de officio Commentariensis: & breuiter id, sed benè tractat Damhouder. noster *prax. crim. c. 17.* De expensis captiuorum, E. 23. *Maij.* 1401. *vlt. April.* 1407. de commentariensium officio, delictis, Edict. *pen. April.* 1547.

De Iudæis.

PEr leges iure ciuis Romani vtuntur Judæi. *l. 7. C. de Iud.* adeoque potestate in liberos. Costal. ad *l. 3. de his qui sunt sui.* si filij tamen sint conuersi à parentibus separantur, *c. Iudæor. cum seq. 28. q. 1.* non tamen sunt officiorum, aut dignitatum capaces, *l. vlt. C. eod.* neque legatorum, *l. 1. C. eod.* neque matrimonij cum Christianis, *l. 5. C. eod. c. Iudæi. c. vlt. 28. q. 1.* habitationis victusque communis cum eis, *c. nullus. c. omnes. ibid.* medicinæ præbendæ, *d. c. nullus.* ad necessitates tamen publicas & onera tenentur, *l. 4. 9. C. eod. l. 15. D. de excus. tut.* & decimas, *c. de terris. x. de decim.* carent iure asyli, *l. 1. C. de his qui ad Eccles. conf.* iure testimonij aduersus Christianum, *c. non potest 2. q. 7.* vt nec eis suppletorium iuramentum sit deferendum, ob causam *d. c. non potest. & c. vlt. §. fin. x. de iureiur.* quod secus tamen in Camera Imperij obtinet Mynf. *5. obs. 6.* vbi & præscripta eis iuramenti forma; idem *6. obs. 20.* vbi tamen per se litigant, non per procuratorem Christianum P. M. Wechner. *obs. l. 3. v. Iud.* cum *d. l. 5. C. eod.* eis solemnem morem seu cōmunem permittere videatur in iudiciis: vt & commercia *l. 7. C. eod.* sic tamen vt supra Iuris regulas fœnerantes coërceri possint. Gail. *2. obs. 5. in fin.* templa, synagogas nō nouas, *l. 3. 13. vlt. C. eod.* synedria, *l. pen.* seniores, *l. 14.* primores, *d. l. 8. pen.* arbitros, *d. l. 5.* iura defensionis, *d. l. 13.* & alia ciuium Rom. *l. 7. 8. tot tit. eod.* adeoq; etiam immobilia possidendi, *l. 3. 8. 13. C. eod. d. c. de terris.* sed Paulus IV. 23. *Martij* 1556. id eis inhibuit.

hibuit. Per mores tamen non vbique eis habitare licet, sed id ad Principum arbitrium pertinet, Regalia tamen possidentium; vt videtur exigere Bulla Aurea Carol. IV. *c. 9.* si tamen publicè fœnerentur, eo nomine habitare vetantur, *c. 1. de vsur. in 6.*

In Brabantia olim sub saluo conductu Principali fuisse Iudæos ex tabulis legum Brabantiæ an. 1312. constat. Exinde post impietatem in sacram Hostiam Bruxellis commissam perpetuò sunt relegati, sententiâ Ducali ob eos sacrilegos latâ. quin & nouis Christianis ob plurium perfidiam abesse iussum nouis Edictis *17. Iul.* 1549. E. *pen. Maij* 1550. adeò vt Albertus Pius post inducias cum Batauis contractas negarit in vim illarum facultatem huc veniendi N. Iudæo Amsterodami degenti; tamquam cui alia, quàm belli ciuilis, causa obstaret.

Ad leg. Iul. Maiestatis.

MAiestatis læsæ crimen diuinæ atque humanæ grauissimum est. Illius variæ species. quas breuiter enarrat Damhouder. *prax. crim. c. 61.* sed prima atque potissima hæresis. de qua mox. huius etiam plures. de quibus idem *c. 62. & seqq.* edicta nostratia mox notabimus. atque reduci ad hoc læsæ humanæ maiestatis potest, quidquid committitur aduersus personam non tantùm, sed & dignitatem, & auctoritatem, omnesq; notas Imperij. de quibus latè egimus *in Iudice lib. 4. c. 1. & seqq.* sed alio atque alio gradu eiusmodi commissa consistunt: & quædã tam humili, vt ex circumstantiis suis aliquando excusentur. Capita delictorum sunt, quæ personam Principis, aut Reipub. salutem spectant. De huius criminis grauitate nihil satis dici potest, reos leges viuos damnant. *l. 1. 2. 3. 4. D. l. quisquis. C. ad leg. Iul. Maiest.* & mortuorum memoriam, vt nec lugere illos liceat. *c. si quis cum 6. q. 1. c. licet Helt. de Simon.* adeoque nec epitaphium aut sarcophagum illis imponere honorandæ memoriæ causâ, quæ in illis damnata est. quod & in hæreticis obtinet, extra

extra sacrum locum sepultis, qui semper eis negatur.

Jn tumultibus Belgicis edita sunt aduersus Maiestatis reos diuersa edicta: atque inter cætera *7. Oct.* 1579. *&* 2. *April.* 1582. quibus acta omnia tamquam à priuatis facta irritabantur, præsertim contra eos, qui partes Regias sequerentur. sic vt hi semper posteà in bona sua regredi possent. quod & Iudicato Parlamenti Mechlin. firmatum refert Christin. *vol. 2. d. 14* etiam solus hoc in crimine conatus punitur. quod etsi in Gallia desuetum scribat Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *sat.* 57. non tamen apud nos desiit. quamuis in aliis criminibus recipiatur; vt non puniatur aggressor infantis nullo secuto effectu contra *l. si quis infant. C. de sicar.* nec perniciosæ libidinis sola voluntas, contra *l. 1. D. de extraor. crim.* neque casus *l. Diuus. D. de sicar.* neque furti attentati non facti, contra *l. si quis seruo. C. de furt.* contrectati non ablati sed mox relati ante deprehensionem, contra *l. falsus. §. qui alienum. D. de furt.*

Quod rursus Bugnion. scribat *l.* 1. *sat.* 86. abolitum tit. *C. si quis Imp. maledixerit.* non vtique apud nos mox obtinet; vt lubricum linguæ acerbè puniatur: sed ex personis hominum dicta pensantur, atque examinantur: atque præsertim an vini patrisque Liberi culpa, an bibentium, liberè nimis homines locuti fuerint. alioquin etiam Edicta 1. *Maij* 1566. 19. *Febr.* 1593. compescunt malignam maledicentiam in Principes, & Magistratus, libellosque famosos.

De hæreticis.

QVamquam Carol. V. vt inuictissimus ita & prudentissimus Princeps aduersus nascentes hæreses salutaria euulgarit edicta, etiam de Ordinum generalium consilio; quæ etiam Rex Philippus II. quem Sapientem nominarunt, confirmauit, & auxit: quamquam etiam in initiis Belgicorum tumultuum, vt eorum rigorem remitteret, & quæstionum in hæreticos acerbitatem mitigaret, rogaretur; exorari

rari tamen non potuit, quin Parmenſi Duci ſorori Regenti reſcriberet, vt eam rem ſummo ſtudio procuraret; quòd neque Reipub. vtiliorem neque ſibi gratiorem vllam poſſet. Creſcentibus tamen malis coacta fuit eadem Parmenſis nouum Conuentibus Ordinum edictum proponere. quod recitat Haræus *in Annal. tumult. Belg. ſub Philipp. II. ad annum* 1566. quod iam pridem & pluries Reges Galliæ facere ceperant. Sed neque temporum malignitas moderatiora iam edicta tulit, cerebris eâ phreneſi tactis, ſtomachis nauſeabundis iam non ea remedia erant, in venenum ſalubria pharmaca vertebantur.

Itaque tantis tempeſtatibus res verſæ inuerſæque ſunt, vt ſumma pœnarum in prouinciis, quæ non Religionis orthodoxæ, & Regis ſimul iugum excuſſerant, hæreticis incumberet dumtaxat, vt exeſſe iuberentur. quin & multis in fidem Regiam receptis vrbibus induciæ datæ ſunt biennales, quadrienaleſque; intra quas in ſe deſcenderent, ad mentem doctrinamque ſanam redirent. Quo conſilio nihil ſalutarius fuit, innumeris interim ad Eccleſiam redeuntibus: vt ſæpè aliis in rebus, ita & nonnumquam in hoc negotio periculoſum eſt extrema perſequi.

Albanus ann. 1572. refractarios omnes Belgicis ditionibus euerterat, ditiones pacarat, niſi quòd profugi quidam mari ſe commiſerant, & plerumque in Angliæ portibus hoſpitabantur, piraticam alioquin exercentes. Interpellat illi Reginam, ex fœdere, dicit non permiſſum: illa importunè coacta iubet omnes excedere, commeatum eis vendi vetat: illi rem arduam aggreſſi, quam antè nec cogitatione auſi, deſperationem in ſpei cauſam vertentes; ad continentem vela vertunt, Brilam tentant, & intercipiunt. Vnde initium rediuiui belli, quod hactenus gliſcit.

Pacificatio Gandenſis, quam & Ioannes Auſtriacus probauit, rigorem veterum aduerſus hæreſes edictorum ſuſpendit, donec Ordinibus generalibus coactis, quod è Repub. eſſet Rex ſtatueret.

Ferdinandus III. Imperator, Ferdinandum Palatinum Boëmiâ, Palatinatu, totaque Germaniâ exturbarat, sociaque arma depulerat, &, quæ Romanas non viderat, illius victrices aquilas venerata est vltima Thule. Immensus eius zelus, à Saxone aliisque veterum Ecclesiasticarum opum possessoribus res in pristinum statum restitui postulabat. è versis cineribus resuscitati ignes; qui incendium per totam Germaniam protulerunt, Suecum Wandalorum progeniem in meditullium Imperij immiserunt, ad omnesque fines cædes, incendia, vastitatem diffuderunt. pro viribus & temporum ratione hæc tractanda sunt. vt diximus in *Indice l. 4. c. 4. n. 6.*

De hæreticis diximus *sup. de sum. Trin. & fid. Cath.* satis latè: repetendum hîc tantùm tribus verbis, quod ad eorum punitionem inter criminales tractatus spectat. Itaque E. *8. May* 1521. narratâ origine damnationis errorum Lutheri à Leone X. proponitur inhibitio librorum eius, proscriptio, & adhærentium: mandatur vt contra hæreticos procedatur tamquam reos Maiestatis: vt bona confiscentur; dimidiam delator, vel accusator auferat: contra suspectos inquiratur: libri comburantur: picturæ item & imagines, errorem, scandalum, turpitudinem continentes: sine censura nulli imprimantur, & vt rei Maiestatis impressores puniantur. Edicta sæpiùs repetita atque aucta. *22. Sept. 1540. 12. Sept. 1544. vlt. Iun. 1546. 29. April. 1550.*

Et E. 17. *Iul. 1526.* 14. *Oct. 1529. 7. Oct. 1531.* ne cœtus fiant, lectiones, disputationes de litteris sacris, doctrinâ; Lutheri, aliorumque reprobatorum libri reprobati comburantur: foris allati non vendantur. nulli imprimantur sine censura. Ludimagistri reprobatos libros aut dogmata discipulis suis non proponant.

Et quidem Edicta *7. Oct. 1531. 4. Oct. 1540.* lata sunt de consilio Ordinum generalium, vt rigorosæ ordinationes contra hereticos executioni mandentur. quò minùs quidam excusantur, qui rigorem edictorum de suo consilio latorum in ansam rebellionis citarunt.

Nun-

Nuncupatim autem E. 10. *Iun.* 1535. contra Anabaptistas seuerè decretum inter cætera vt omnes eos denuntient, aut complices habeantur.

Nemini licere signum Crucis humi sculpere leges dictant. *C. nemini licere. L. Iudæos. C. de Iudæis.* vtique ignominiæ causâ. caussa manet vetita, vbique tamen passim vsus sculpturam admisit in marmore & silice. Bugn. *leg. abrog. l. 1. sat.* 192. quem irrepsisse credo quòd initio more Christiano tumuli quasi ex pietate, vt ab ethnicis dignoscerentur, sic compositi à multis fuerint. nunc etiam Sacerdotum sarcophagi hostiæ & calicis figurâ passim signantur: quod alij rectiùs omittunt. aliis enim notis & litteris signari possunt.

Hæresis crimen naturâ Ecclesiasticæ cognitionis est, sed moribus nostris & ex Concordatis Brabantiæ illius vindictam etiã sæcularia tribunalia persequuntur ex Constitutionibus Principum in hæreticos latis. sed quarum, vt diximus, pœnæ hodie non ita frequentantur.

De Apostatis.

INter primos hæreseon fructus apostasia est ab Ordine. quæ initio frequens excitauit E. 17. *Feb.* 1535. vt apostatas religiosos fugitiuos nemo hospitetur, omnes mox denuntient, officiarij apprehendant, & in monasteria sua reducant, & qui litteras dispensationis habent, antequam de ea cognoscant Iudices per eas delegati, in loco aliquo Ecclesiastico sequestrent, donec executioni mandentur: sumptibus eorumdem religiosorum, eumdem locum in citatoriis exprimendo; & si inde sine licentia discesserint, nec sint soluendo, sumptu suorum monasteriorum: deferendo interim habitum, donec dispensatio executioni mandetur. & si locum designatum deseruerint, arbitrariè puniantur. & qui aliter fugitiuis consilium aut auxilium præstiterint, ducentis florenis mulctentur.

De blasphemis.

ALter fructus hæreseon est blasphemia frequens in Deum, in Sanctos assidua. Jnde nata hîc frequentia edicta, vt & in Gallia. quæ citat Duret. *tract. de pœn. v. blasphem. 9. Mart.* 1510. 3. *Mart.* 1514. 5. *April.* 1556. 9. *Februar.* 1566.

Hîc edicto *vlt. Nou.* 1517. decretum, vt qualescumq; blasphemi, & execrabiliter iurantes seuerè puniantur, primo pecuniâ arbitrariâ; secundò publicâ in theatrum expositione, & linguæ incisione; tertiò fustigatione per locum vbi acciderit, perpetuo banno, sub pœna mortis sine remissione.

Edicto 5. *Ian.* 1518. repetita ordinatio: sed mitigatæ pœnæ; Primò 60. sol. Fland. secundò dupli, tertiò tripli, & sex dierum ieiunium in pane & aqua; quartò expositio ad sex horas.

E. 7. *oct.* 1531. *ar.* 43. vt blasphemi rigidè puniantur, per carcerem menstruum in pane & aqua; grauius qui Deum abiurant animo improbo, præter cacerem lingua transcindatur, aliàs arbitrariè in cute luant, sine conniuentia. alioquin Judices status sui periculum patiantur.

Edictales pœnæ seruandæ sunt, omissis capitalibus ex illa const. *vt non luxur. hom. cont. nat. §. quia verò statutis,* à quibus per illas videtur recessum. *l. qui cum vno. §. qui post. D. de re milit.* Similiter hodie in foro Ecclesiastico obseruanda est constitutio Leonis X. à Pio V. innouata contra blasphemos. & *ar. fin. c.* 1. Concil. Camerac. 1586.

Ad blasphemiam spectat, peierandi frequens inter sermocinandum aliquorum mos. quem fortè in Francis olim notauit Saluianus *lib. 4. de prouid. Dei.* vt citat Bugnion. *leg. abrog. l. 4. lem.* 56. sub his verbis; *Francus periurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis.*

Ad

Ad legem Iuliam de adulteriis, & stupro, & de luxu vestium, &c.

PAupertas ex luxu, atque ex eodem luxuria nascitur: vt ergo huic origo retardetur, ille coërcendus est. quare E. 7. *Octob.* 1531. *ar.* 43. vt luxus vestium cohibeatur articulis ibi septem prohibitæ sunt vestes, quæ singulorum gradibus non conueniant. sed prohibitionem nequior vsus oblitterauit, iterùm remedio egens.

Iterùm E. *30. Ian. 1545.* aliquot hîc articuli insurgunt aduersus luxum vestium, quem mores conniuentiores iterùm remiserunt.

Iterumq; E. *27. May* 1550. latæ leges vestiariæ: quas nec tempus insecutum seruauit, fortunâ quamuis afflictâ. nec meliore sorte Gallia fruitur. vbi nec feliciùs seruantur leges sumptuariæ, nec Ordinationes Statuum Aurelian. nec edicta Regum. *26. July* 1420. 12. *Iuly* 1549. 22. *April.* 1569. 4. *Feb.* 1567. 19. *May* 1547. 22. *Aug.* 1561. De quibus Duret. *Tract. de pæn. v. vestiments.*

Sed & in vino luxuria est. ebrietatem ergo etiam Carol. V. E. 7. *Octob.* 1531. *ar.* 27. 30. 33. coërcere voluit. vt mox latiùs ad *l. Corn. de sicar.* Ipsos autem adulteros publicos idem Princeps E. 4. *Octob.* 1540. vetuit Magistratibus gerendis admoueri.

Leges Romanæ adeò castæ fuerunt, vt nec nudum quidem militem in flumine, lauari permittant in conspectu exercitus, ne oculi militum incestentur; sed remotiùs. *l. super. C. de re milit. l.* 10. quod & castarum ciuitatum edictis sæpiùs proclamatur, sed non vsquequaque seruatur.

Propter verecundiæ rationem etiam abolita est inspectio corporis ad agnoscendam pubertatem. *l. fin. C. quemadmodum tut.* nisi si de nullitate contracti fortè matrimonij agatur, & malitia ætatem superasse allegetur: tum enim inspicitur habitudo corporis: ne contra verum fortè matrimonium pronuntietur; cuius Sacramenti ratio præ verecundia valet.

Cæterùm crimen hoc adulterij hodie nimis molliter punitur: pecuniariis plerumque mulctis : quandoque expositione in theatro ad ignominiam, traductione infami per plateam, processione in lineo indusio, & delatâ ad templum candêlâ, adulteræ veste supra genua præcisâ, ad subsannationem, aut simili arbitrariâ. latiùs Damhouder *prax.crim.c.89.* Duret *tract.de pæn.* Gudelin. *Iur. nouiss. l. 5. c.* 18. *n.* 18.

Stupro voluntario pœna hodie non imponitur, aduersus *§. sed & rad. Inst. de pub. iud.* violento stupro ex tabulis legum Brabantiæ 1312. grauis pœna proponitur, capitalis quidem vt legalis, sed insuper in modo acerbior: vt scilicet ei, qui inuitam virginem aut fœminam stuprauerit, assere ceruix amputetur. hodie ferè vbique gladio punitur tam ipse reus, quàm qui opem præstant. & conniuentes parentes exilio. Et vim illatam probari volunt proclamatione in vrbe : at rure in syluis violatæ iuramento. sed hoc, vt recipiatur quoad pœnas ciuiles violatæ applicandas, quoad tamen criminalem punitionem recipi non potest : sed nec facilè in ciuilibus, nisi aliæ circumstantiæ, indicia, & præsumptiones adsint. quemadmodum procedit *l. si quando. C. vnde vi.* vt si quando vis in iudicio fuerit patefacta, quoad qualitatem rerum credatur sacramento vim passi, consideratis circumstantiis : ita si vis illata probetur, credetur vlteriùs virgini. eodemque modo procedit *c. vlt. x de his quæ vi.* Deuteron. *c.* 22. puella liberatur à pœna si in vrbe clamauit, sed & si in agro, quamuis hoc nemo audierit : non tamen sola mulieris assertione reus damnatur. sed si probetur aut fateatur vir tentatam vi puellam in syluis, iuramento eius virginitas, & violatio probari poterit quoad effectus ciuiles.

De raptoribus virginum, & sanctimonialium.

RAptus Iure capitalis est. & tabulis Brabantiæ 1312. statuitur, vt qui minorennem seduxerit, agnatus quamuis & cognatus, vitâ & bonis priuetur. lex *raptori. C. de I. pisc.* &

& cler. parentibus permittit raptores interficere:quod vsus non premittit. vt nec alios casus. vt suprà diximus, *Quando liceat vnicuique sine Iudice se vindicare.* Quòd & marito leges adulteram cum adultero deprehensam occidere permiserunt; nec canones, nec mores recipiunt. *c. inter hæc & seq.* 33. *q.* 2. multò minùs suspectam tantùm, & vno teste delatam. *c. admonere* 33. *q.* 2. facilius tamen huiusmodi homicida propter leges abolitionem impetrat. sed per *c. quicumque* 33. *q.* 2. non absolutionem, nisi post publicam depositis armis pœnitentiam cùm est adultera deprehensa: cum suspecta tantùm multo grauiorem. *d. c. admonere.*

Raptus sanctimonialium multo est magis capitalis. *l. vn. C. de rapt. virg. sanctim.* & cōtracta cum apostatis matrimonia omninò sunt irrita. Conc. Trident. *sess.* 24. *de mat. can.* 9. siue ea matrimonia tententur à regularibus, siue à Sacerdotibus. damnatq; eos Trid. anathemate qui contrahere eos posse, aut contractum matrimonium validum esse dicunt, non obstante lege Ecclesiasticâ, & voto. & liberi scienter suscitati omninò sunt spurij: sed ignoranter, ex bona fide mulieris possunt succedere. *c. ex tenore. x. qui fil. sint legit.* vbi aduertendum, quàm rectè Concil. legis Ecclesiasticæ meminerit, ob Ordines sacros: voti, ob professionē: vt meminerimus non parum ea differre. Vnde & traditur prolem susceptam ex coniuge translato ritè ante consummationē ad religionem, esse spuriam: ad Ordines tantùm promoto legitimam. Sanches *de mat. l.* 9. *d.* 38. Iud. Cur. Mechl. apud Christin. *vol.* 2. *d.* 40. quia per religionis ingressum soluitur non consummatum matrimonium. *tot. tit. x. de conuers. coniug.* per Ordines sacros non item. *Extrau. antiq.* Joan. XXII. *de voto.* proles tamen est irregularis, & instar illegitimæ quoad beneficia, atque Ordines. *c. litteras. de fil. presbyt.*

Sed neque raptæ licuit raptori nubere. neque Princeps solebat consentire, vt eum sibi matrimonio iungeret, qui hostili more in Repub. versatus esset. *l. vn. §. si quid. C. de rapt.* cui consonat *ar.* 26. *læti Introit. Brabantiæ.* sed abrogat *c. cum causa. c. fin. x. de rapt.* Verùm Trident. *sess.* 24. *de ref. mat. c.* 6. nullum admittit matrimonium, quamdiu rapta est in raptoris potestate. libertate donatæ

donatæ liberum id facit: raptorem tamen pœnis non eximit: præsertim ciuilibus. sed criminalis ferè (non tamen excommunicatio *d. c. 6.*) per matrimonium cessat. præsertim inter pares neque quotidianus est rigor, qui de Carolo Audace Principe refertur. vidi tamen fiscali actione pulsatos, vt raptus reos, quamuis iam coniuges. & pecunia crimen abolitum. atque hæc in gratiam, vt videbatur, matrimonij. qua ex causa etiam, qui eam ducit quam polluit per adulterium, vix hodie solet accusari, quamuis *l. commissum. C. ad leg. Iul. de adult.* non excuset. sed accedente fidei promissione aut in mortem innocentis coniugis machinatione, per canones nuptias contrahere simul vetantur. sed hodie faciliùs dispensatur à Sede Apostolica cum istis sine machinatione promissoribus: in eiusque rei gratiam, & matrimonij ab Ecclesia iam concessi, solent sæculares Magistratus non sæuire in huiusmodi reos. nec verò possunt, vbi Ecclesiasticum forum adulteros punire per præuentionem cum integra absolutione potest: siquidem litteræ dispensationis Executori mandant, vt si res ad forum deducta sit, oratores ante executionem pareant Iudicato: sin minùs, in vtroque foro absoluantur.

Ad legem Corneliam de sicariis.

HOmicidij crimen grauissimum est, &, post peccatum in pomo ab Eua & Adamo commissum in Abel à Cain primum, & naturæ corruptæ inclinatione frequens, adeoque Principes legibus cohibere & vindicare illud semper sategerunt. Carol. V. etiam, aliique Principes nostri diuersa Edicta eam in rem ediderunt. *29. Octob.* 1551. *E. crimin.* 1570. *art. 24. 66. 22. Iunij* 1589. *12. Iulij* 1611. *ar. 47.* etiam tabulæ legum Brabantiæ *an. 1312.* decreuerunt, vt si quis ex proposito homicidium cõmiserit, omninò vitâ & bonis exuatur: qui aliàs gladium eduxerit, cædendi animo, qui percusserit graui mulctâ (pro paupertate illorum temporum) castigetur: qui membrum

brum amputauerit, simili trucetur: si mors secuta fuerit, vitâ bonisque plectatur: subiectis pluribus distinctionibus pœnarum in eos, qui verbo factóve alteris iniuriam inferunt. permittit tamen iis, quibus minæ imminent, arma ferre ad defensionem.

Et quia solet plerumque disputari, an defensionis causâ homicidium factum sit, ibidem decernitur, vt vbi quis occiditur, omnes correi ad dies octo pacem habeant (quos lætus Introitus Brabantiæ videtur restringere in innoxiis ad 24. horas *ar.*20.) & quòd si quis domi, aut vbi ei insidiæ paratæ erant, pro vitæ necessariâ tutelâ aliquem læserit, occiderítve, impunę sit. vnde neque cum telo ambulare animo hominis occidendi hodie capitale est: contra *l. is qui. C. ad leg. Corn. de sic.* nisi inchoato delicto, & ex singularibus circumstantiis. Bugnion *leg. abrog. l.1. sat.*56.

Quoniam verò ebrietas multarum contentionum, homicidiorumque causa est; visum hîc adiicere, quàm seriò Imp. Car. V. E. *7. Oct.* 1531. cohibitam eam voluerit, statuens *ar.*27. ad obuiandum incōmodis ex ea nascentibus, vt omnia encœnia & amburbalia per totas regiones ad vnam diem reducantur, & vnam dumtaxat diem durent. qui intus aut foris excesserit, quindecim florenos luat. quod tamen vsu receptum non fuit. nam vt de Ecclesiastico officio nihil potuit mutari, ita mores culinæ fumum retinuerunt.

Eodem E. *ar.*30. vt ad viam regiam tantùm, non secus obscuras semitas diuersoria sint.

Denique *ar.* 33. vt ebriosi ad Magistratus non promoueantur, promoti destituantur.

6. De pugnantibus in duello.

IGnorantia priorum sæculorum multis in locis etiam publicis legibus duella receperat, vt in vicem, atque defectum

probationum illa admitterentur: per sacros tamen canones ea semper reprobata sunt, tamquam diuini Numinis tentatiua: cui non semper visum patrare miracula, causarumque iustitiam per illa approbare. tamen mali mores radices suas reliquerunt. vnde infinita homicidia pullulant: & maximè iniquissimis his sæculis inualuerunt duella, ad propriam iniuriæ vindicationem suscepta: quibus coërcendis vix hodie vllæ sufficiunt leges. quales tulerunt plures Comites Flandriæ, & dedit Philipp. II. E. 22. *Iun.* 1589. *ar.* 10. sed plenissimè æquè atque sanctissimè Albertus & Isabella *pen. Febr.* 1610. Edictum proposuerunt repetitum 11. *Iulij* 1624. 26. *Octob.* 1626. vt in primis omnes subditi amicè, beneuolè, sine iniuriis aut contumeliis conuersentur, minores respiciant honestè maiores; neque hi illos despiciant: nemo alterum verbis factisve indiscretis irritet, sub pœna indignationis Principalis, exemplarisque correctionis.

Nemo alterum prouocet ad duellum; siue intra ditiones, siue foras: verbotenus, aut missis libellis, nemo nuntia aut huiusmodi libellos recipiat: sub pœna degradationis, insignium, & nobilitatis, famæ, priuationis officiorum, pensionum, ac medietatis bonorum: quòd si qui de facto depugnauerint, seu ad condictum locum deuenerint, mortis, & confiscationis omnium bonorum.

Et quoniam pleraque duella ortum habent ex falsa opinione, quasi degenere timore impediantur, qui manu sua iniurias aut conuitia non vindicant; declarant Principes falsam eam esse opinionem, honorem iniurias passorum sub suam protectionem recipiunt; & ne quis eis exprobret sub suæ indignationis & arbitraria pœna vetant eod. E. *penult. Febr.* 1610.

Insuper ne quis nuntia aut libellos prouocationum deferat, in duellum euntibus auxilietur quomodocumque, aut comitetur, sub capitis pœna & bonorum.

Quòd si grauior iniuria acciderit in Curia, aut exercitu, querela ad Principem, aut exercitus supremum Ducem deferatur:

ratur : qui assumptis duobus equitibus conciliet partes, & idoneis modis offenso honoris reparationem curet. Si acciderit in aliqua prouincia, idem officium præstent Gubernator, & Concilium; summariè atque expeditè: quòd si non potuerint, aut iniuria sit atrox, crimen Maiestatis, aliúdve id genus, stuprum mulieris, aut virginis consanguineæ obiectum, ad Principem referatur : qui negotio expenso, integram offenso famam restituat.

Quòd si quis temerario iudicio quidpiam vt iniuriam ad animum reuocauerit, quæ verè iniuria non fuerit, cum dedecore & arbitraria pœna eius querela reiicietur.

De maleficis, mathematicis & sortilegis.

GEnus hoc hominum semper prohibebitur semper retinebitur : nulla ei diligentia sufficit. Igitur Ecclesiasticis canonibus, & decretis frequentibus coërcetur. & nuper decretis Synodi Prouincialis Mechliniensis, & ad illa E. *vlt. August.* 1608. *ar. 13.* quo sancitur vt nemo prædictionibus, & arcanorum reuelationibus superstitiosis se addicat, perpetuo exilio, grauibusque pœnis rei coërceantur, atque etiam consulentes. & *ar.* 14. aduersus magos & maleficos seriò & diligenter procedatur, iuxta litteras Regias ad Episcopos omnes atque Concilia Regia missas 20. *Iul.* 1592. quibus Rex mandat vt aduersus omnis generis sortilegos, genethliacos, astrologos Iudiciarios, maleficos, superstitiosos, omnes Iudices diligenter insurgant, Prælati per pastores & concionatores populum instruant, Iudices Ecclesiastici & sæculares officio fungantur : ij secundùm canones & constitutiones Apostolicas; illi secundùm leges & Edicta. Episcopi per Officiales & promotores diligentiam præstent: similiter Concilia, Magistratus, officiarij.

Porrò Ægyptiaci, qui vocantur, E. 15. *Febr.* 1537. 2. *Sept.* 1560. exterminari iubentur. & in Brabantia *in add. 2. ad latum Introit. ar.* 6. Qui per sortilegia occidunt, incantationibus conceptum partum perimunt, valetudinem hominibus, vitam brutis per carmina eripiunt, incendio absumuntur.

De falsis.

CRimen falsi multis modis committitur, multis punitur. de quibus hîc rectè Damhouder. *prax. crim. c.* 119. *vsque* 125. & plerumque quidem arbitrariè. sed quoniam hactenus nimis molliter sæpè Judices arbitrabantur, statuit Imperator E. 30. *Ian.* 1545. vt qui sciens prudens, ex proposito, dolo malo commiserit crimen falsi, siue in priuilegiariis diplomatibus, siue aliis contractibus, instrumentis, schedulis, obligationibus suspendio puniatur. sed & hoc rariùs frequentatur, circumstantiis pœnas iudicantium arbitrio mollientibus. In frontispicio Parlamenti Mechlin. adhuc visitur manus falsi fabricatrix amputata. de qua falsi pœna Damhoud. *prax. crim. c.* 122. Veteres è saxo falsarium præcipitabant, deportatione, deinde exilio, & bonorum confiscatione mulctabant. illius pœnæ imminentis vt memores essent, ea formula iurabant; *Si sciens prudens fallo, ita me Diespiter bonis omnibus eiiciat, vt ego hunc lapidem* hunc de summo Tarpæi proiiciebant.

Mendaciorum pœnæ in *l.* 11. *§ si cùm cesset. D. de interrog. act.* aliisque quamplurimis Iuris locis inductæ, moribus desueuerunt. falsitas testium peierantium nimis etiam leuiter tractatur, præsertim cùm crimen coram Iudice euidens sit. quando non est impunè transmittendum. quamuis aliquando dicatur periurium solum Deum habere vltorem. Damhouderius vt de cæteris criminibus ad nostros mores latiùs ita rectè de falso com-

commisso verbis, *prax. crim.c.*121.scriptis, *c. 122.* reipsa, *c.*123. retieentia, *c.*123. prosequitur.

De raptoribus & incendiariis.

STatuunt tabulæ legum Brabantiæ latæ *in Maio* 1312. vt qui incendium, rapinam, concussionem fecerit, moriatur. sæpè hæc crimina concurrunt, sæpè separatim perpetrantur. validi mendicantes sæpè in ea delabuntur, dum improbitati suæ à paganis non satisfit, ideoque de his Edicta multa prodierunt; quæ citamus inf. *tit. de mendicant. validis.* vsus ferè hîc habet vt incendiarij igne pereant: raptores suspendio necentur.

De vi, & vi armata.

INter prima crimina est hodie, vim inferre, præsertim armatam. quæ si collectis hominibus fiat, facilè ad læsionem Maiestatis refertur & odiosa adeò est, vt nec hodie recipiatur lex *prohibitum. & l. defensionis de Iur. fisc. C. l.* 10. sed à Magistratu, aut apparitore extra Iuris rationem grauatus, non vi resistere possit, sed prouocare, & superiorem interpellare. habere tamen apud nos licet arma domi, quod *tit. de C. de armis. & D. vi. publ.* prohibetur: imò Iurata ciuitatum Collegia tenentur. & hoc septuagenarium bellum non ciues tantùm armis vigiliisque, sed & rusticos assuefecit. aliquando tamen ex metu instantis periculi auferuntur, aut copiosiùs dantur.

De vi priuata, vt si quis rem suam vi inuaserit, non seruat vsus, quod habet *lex si quis in tantum. C. vnde vi.* & similes, vt re sua priuetur, sed mulcta fisco applicanda coërcetur arbitrariè.

De furtis.

LEgales pœnæ, vt in omnibus ferè, ita & in furto manifesto, & nec manifesto in desuetudinem indistinctè abierunt: parti res restituitur ablata, & damna: ad vindictam autem publicam agit accusator publicus, prætor, vrbi præfectus, &c. Constitutio Frederici suspendit furem quinque solidorum, minorem tonsione, scopisque punit, *tit. de pac. tenend. & eius viola. lib. 2. feud. §. si quis.* & delinquentes iam olim tonsos, & virgis cædi solitos scribit Tacitus, *de moribus German.* Tabulis legum Brabantiæ scriptis *in Maio* 1312. qui furatus fuerit infra quinque solidos, signatur: si dein relapsus fuerit, vitâ priuatur, & medietate bonorum. Fures hodie primùm virgis cædi, secundâ vice tergum etiam stigmate inuri, tertiâ in patibulum attolli solent; nonnullis & auris præscindi. circumstantiæ tamen ætatis, spes frugis melioris, exigua furti quantitas, pœnas mitigant, & aliæ circumstantiæ exasperant. sed & circumstantia à pœna eximit: sic viator ad præsentem vsum frugibus vtitur. Deut. *c.* 23. Plato, *lib.* 8. *de leg.* Et d. Const. Frederic. *§. vlt.* quicumque per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quantum propinquo secundùm viam stans in loco amplecti potuerit, ad refectionem & respirationem sui equi impunè ipsi equo porrigat. licitum sit etiam ipsi vti herbâ viridi, & syluâ, & sine vastatione aliquâ quilibet vtatur pro sua commoditate & vsu necessario: alioquin qui pecus suum immittit in alienum agrum, ex *L.* XII. Tabularum tenetur. *L. qui seruando. §. vlt. D. de præscrip. verb.* & diuina. *Exod. c.* 22. de quo suprà egimus *tit. ad leg. aquil.*

Furti crimen Edictum criminale 1570. etiam ex rigore tractat *ar.* 61. 66. sed maximè cùm agricolis sua pecora aut instru-

menta

menta subtrahuntur insurgit E. *12. Ian.* 1586. quod & prouocauit eo tempore annonæ caritas.

Ad furti actionem non commodati tantùm pertinet, vsus rei supra quàm commodata sit. *l. si vt certò. D. commod. l. qui iumenta. de furt.* quò etiam vocari Iure possent, qui rebus conductis aliter vtuntur quàm colono liceat. sed hodie priuati agunt actione ex contractu, ad id quod interest, non expresso actionis nomine; officiarij vix manum admouent iis, quæ vmbram ex contractu furto obducunt: sed si omninò liqueat crimen.

Furti & bonorum raptorum actio de re minima datur. *§. 1. Inst. de vi bon. rapt. Nou. 63. 69.* non doli, si res non sit duorum aureorum. *l. si quis 9. §. meritò. l. 10. l. 11. D. de dol.* moribus tamen cuique actio ad suum recuperandum datur, sed formulas non explicamus, & potiùs ex facto quàm nomine furti dolíve intentatur. fures etiam balnearij apud Romanos grauiùs coërcebantur. Belgis balnea rara, nec admodum vbique fauorabilia, nisi fortè medica.

De concußionibus.

COhibet E. 12. *Iulij* 1611. concussiones executorum. De militum concussionibus plura diximus *tit. de validis mend.* & *tit. de re milit.*

Sed & E. 2. *Maij* 1627. denique inhibetur omnibus gubernatoribus & officiariis, ne præter stipendia, iura, & legitima emolumenta officiorum, exigant aut recipiant munera in pecunia, auena, fœno, &c. sub pœna quadrupli, & arbitrariâ correctione dantium, & recipientium. sed malignitas temporum aurei sæculi eutopicas cogitationes non admittit.

Ex

Ex tabulis legum Brabant. *in Maio 1312.* Drossardus aut Iudices sine sententia nihil à quoquam accipere possunt.

Si ad Ius dicendum munus, aut seruitium accipiant, incurrunt pœnam dupli: quam nisi restituerint, vitâ & bonis puniuntur.

Sed & iisdem tabulis cautum, vt si doceantur quidquam commisisse aduersus eas tabulas, priuentur officio, inhabilesq; sint in posterum.

Qui per Magistratus officiíve quod gerit auctoritatem pecunias extorquet punitur per leges vt falsarius & calumniator, etiam exilio. *l.* 1. 2. *D. h. t. l. si ab eo. D. de calum.* Iure Canonico vt calumniator. *l. militare 23. q.* 1. & Ecclesiasticus suspensione annali; & si diuinis se ingerit, perpetua. *c. cùm æterni. de sent. in 6.*

De termino moto.

GRaui 50. librarum auri pœnâ, qui terminum mouerat, damnabatur. *l. vlt. D. h. t.* odiosum crimen, etiam tab. leg. Brab. *an.* 1312. mulctatum. in Gallia virgis & exilio. hic vt fures rei habentur, & arbitrio ferè Iudicis plectuntur, vt *in l.* 1. 2. 3. *D. eod.* præter damna, & expensas parti læsæ resarciendas, præterquam quòd qui transposito termino agrum suum ampliat, etiam falsi teneatur. *gloss. vlt. in l. fin. D. de term. mot.*

Arbo-

Arborum furtim cæsarum.

ODiosum etiam hoc crimen est,& grauiter Iure punitur. Duret.*tract.de pœn.v.Arbres.*adeò vt vitium incisores priuatâ etiam auctoritate occidantur. per *l.1.l.sciendum.D.h.t.*quam tamen vsus non seruat. in Gallia extat Constitutio Francisci I. *an.*1518. de aquis & syluis, *ar.*25. 26. 28. rigidè & per plures distinctiones puniens. Tabulæ legum Brabantiæ *an.* 1312. domino damnum interdiu datum iubent restitui, & fisco mulctam. si noctu autem acciderit damni duplum, & mulctam porrò grauiorem. Edictum Car. V. 7. *Septemb.*1536. 11. *Ian.*1548. suprà citauimus *tit. si quadrupes pauperiem.*

Nihilominùs si arbor ædibus alienis impendeat, succidi potest. *l.1.§.si arbor.D.h.t.*sed vsus tantùm permittit arboris ramos impendentes amputare, & radices quatenus in vicinum fundum porriguntur dumtaxat præcidere.

De iniuriis.

AB iniuriis conuitiisque abstinere omnes mandat E. *penult.Febr.* 1610. iubet beneuolè, amicè, honestè omnes conuersari.

Tabulis legum Brabantiæ *in Maio* 1312. distinctionibus pluribus iniuriæ vendicantur. si quis alteri conuitiatus fuerit, quinque solidis mulctatur, ad compendium domini: si rusticus militi, quinque libris: si scutifero ex militari genere, viginti solidis nigris Turonensibus. si quis mendacem alterum nominauerit, mulctatur etiam pecuniâ pro distinctione personarum. Et in Gallia Edictis Regiis emenda honorabili, annihilato conuitio: miles palinodia coram tribuno, & legione, vexillo explicato, cum veniæ deprecatione. E. 20. *Mart.* 1550. 9. *Feb.* 1566. Duret. *tract. de pœnis.v.Dementis.*

Quoad reales iniurias si quis alterum pulsauerit, iisdem Brabantiæ tabulis punitur decem solidis : si in terram ceciderit pulsatus, quindecim : si sanguinem emiserit, grauiori : si miles pulsatus fuerit à rustico, manus aut pes, qui pulsauerit, truncatur : si scutifer ex militari genere, 100. st. si lapsus sit, 7. lib. 10. st. si sanguinem miserit, 10. lib.

Qui baculum cædendi animo arripuerit, qui percusserit, si in terram ceciderit, si sanguinem miserit, si mutilatus fuerit, aut craneum læsum; si alterum quis in domum secutus fuerit, & asseclæ diu noctúve domum perquisierint; qui si pacem negauerit, imperatam fregerit, atque asseclæ, diuersis mulctis ibidem afficiuntur: vt & si alteri minatur, qui & toparchæ, & parti securitatem præstat. atque hæc pro ratione illorum temporum, quo pecuniæ caritas hîc summa adhuc erat.

Plura id genus alia illis tabulis statuuntur: & maiorum nostrorum tempore exactiùs seruabantur. vnde & similia illata sunt in leges municipales Mechlinienses *tit. de criminalib. causis, & ciuilibus mulctis. ar. 4. & seqq.* quæ commodè videri possunt cum Commentariis Christinæi. nam pleraque earum legum illius tituli de criminalibus causis alibi in vicinia passim vsurpantur. auctis tamen pœnis pecuniariis, prout indies decrescit pecunia.

5. *De treuga & pace.*

INiuriam passi solent ad Iudicem recurrere, interdictum postulare. Id maiores nostri pacem priuatam vocarunt, eiusque modum optimè tractant Consuet. Antuerp. *tit.* 21. Tabulis legum Brabantiæ *in Maio* 1312. qui pacem publicam infregerit, diuiditur in quatuor partes, quas toparcha ad quatuor dominij plagas suspendit.

Iisdem tabulis plura decernuntur de pace priuata, & non petentium vel concedentium mulctis, reorum, & fugitiuorum, & consanguineis læsorum.

De

De famosis libellis.

EDict. 1. *Maij* 1566. *&* 19. *Feb.* 1593. vetiti libelli famosi, contumeliosa scripta, aduersus religionem, salutem publicam, Maiestatem & Iura Regia, eosque qui ad gubernacula Reipub. sedent; sub pœna patibuli, & confiscationis bonorum. vltorem gladium pridem proposuit *Lvnic. C. h. t.* famam lædens in rebus non grauibus iniuriæ æstimatione plectitur, & arbitrariè. Wesemb. *in parat. h. t. n.* 19. canones flagellationem comminantur. *c. qui in alterius. 5. q. 1.* & anathema. *c. fin. ibid.*

De abigeis.

EX tabulis legum Brabantiæ 1312. qui pecus abegerit, parti damnum, toparchæ 140. sol. pendit. sed si retinere studuerit, vt fur hodie arbitrariè passim abactor atque pro valore pecoris abacti punitur; si retinet, pro quantitate furti, vt equorum fures plerumque suspendio; aliorum, exilio, relegatione, virgis aliisque furum pœnis.

De viis publicis.

IN tabulis legum Brabanticarum grauiter mulctatur qui viam obstruxerit. Ius enim priuatum lædit, qui alteri tantùm debitam; Ius publicum, qui viam Regiam. vtramque ratio publicæ priuatæque necessitatis fauorabilem facit. adeò quidem, vt pro Iure mores nostri habeant, vt cuius ager ad viam publicam situs non est, per proximum euehere fructus suos possit, si aliter ei via constituta non sit: quam ideò vocant necessariam. quæ tamen non obstat domino, volenti fundum suum sepire & claudere. dummodò necessitati alterius suo tempore seruiat. via autem publica si chasmate, aut vi flumi-

nis sit sublata, proximus vicinus viam præstat, l. *14. D. quemadi ser. amitt.* ex publico tamen compensandam. vt vsu seruari ait Buss. *ad d. l. 14.* quia publicum onus distributiua iustitia non patitur vnius humeris imponi.

Diligenter Edicta Principum viarum Regiarum curam habuerunt. In primis E. *1. Mart. 1505.* vt viæ Regiæ reparentur à dominis fundorum, quibus adiacent: vt currus, equi, mercimonia commodè transeant, vehantur: sub mulctis, & quòd officiarij locorum defectum supplebunt, duplicato sumptu: quòd si lacunæ aliquæ fuerint sumptuosiores, quàm vicinos fundos ferre æquum sit, seu possibile; impensæ fiant ad onus pagi totius. vt quotannis reparari viæ proclamate iubeantur ineunte Vere, seu ad medium Martij, & sic seruari, sub eadem pœna; vt viæ Regiæ quotannis visitentur tempestiuè, atque diu ante festum S. Ioannis: vt scabini requisiti ab officiario præstò sint: visitationem præcedat proclama diebus quatuordecim: ab vtroque viarum latere sufficientes ad quinque pedes in profundum fossæ fodiantur, terra eiecta in medias vias aqua spargatur, colliculi in profunda transferantur: ligna & impedimenta viarum auferantur: pontes, viæ lapidibus stratæ reficiantur, ad onus eorum, qui vectigalia recipiunt: flumina, fluuioli, aquæductus non minùs curentur: transigere aut componere officiarij non possint, nisi post factam reparationem: negligentia officiariorum mulctis emendetur: viæ reparatu impossibiles, per vicinos fundos auditis dominis commodè, & minimo cum damno ducantur.

Et E. *17. Mart. 1507. 24. April. 1510.* & *17. Maij 1536.* atque *15. Iun.* 1555. vt viæ reparatæ sint ante medium Maij, & mox officiarij eas visitent, mulctent, reparent vt suprà. si aquæductus viis adiaceant, ita vt in hyeme exundent, & vias aperiant; termini ponãtur, & stipites, quibus mercatores & aurigæ moneantur, vt à profundo diuertant: vt pontes, qui similiter nonnumquam operiuntur, vtrimque muniantur: ne viatores ignari decidant, & Procurator generalis proprietariorum, & offici-

officiariorum defectum suppleat. & qui executioni se opponit, decretam pecuniam ante omnia consignet. Ordinatio hæc quotannis primâ Dominicâ Martij in singulis parochiis publicetur.

Et E. *17. April. 1556.* vt viæ quæ ad medium Martij aquis adhuc operiuntur, reparentur quamprimùm per eas licebit: atque eæ terræ, quæ communi sumptu reparari solent, eadem diligentia reparentur. Procurator generalis vias publicas elocet reparandas minùs exigenti, sub hasta, sumptu eorum, ad quos pertinet, sine incommodo fisci.

Successere & Principum edicta *3. Febr. 1570. 14. Decemb. 1588.* denique aliud *6. Marti 1610.* sæpiùs exinde repetitum, & publicatum.

Ad vias etiã reparandas etiam lapide nõ stratas ij sunt cogendi qui vectigal aliquod pro transitu recipiunt; vt ante paucos annos Senatus Brabantiæ coëgit Principem Auraicum & Baronem de Grimbergẽ tamquam dominos de Semps & Eppegem.

Sed & ratio viarum publicarum tam fauorabilis est, vt si illę magnis ambagibus publicæ vtilitati incommodent, liceat eas rectà ducere per fundum intermedium, soluto pretio fundi domino. vt à Curia Mechlin. aliàs iudicatum pro domino de Bornhem. & olim Romani vias Regias rectà per obuios omnes agros duxerunt. & nuper Gustauus Rex Suediæ per totum regnum vias Regias instituit, fossis complanatis, stratis syluis, mediisq́ue agris. æquum tamen est, vt, cum Reipublicę priuata cedit, priuatæ rei domino ex publico iactura sarciatur. nam vt auctoritas ea Reipub. datur, ita æquitatem istam non excludit. Iud. Cur. Mechl. apud Christin, *vol. 2. decis. 75.* nam vt initio diximus, iustitia distributiua non patitur publicum onus vnius humeris imponi. sic ex tit. *Cod. Pro quibus causis serui pro præmio accipiunt libertatem* dominis ex publico pretium soluitur. Cuiac. *in paratit. C. eo tit.* vbi ex Liuio Romanis id in vsu fuisse docet. etsi non desint hodie qui de mero iure, sed non æquo in contrarium disputent in simili, cùm extruendis

v. g. munitionibus priuata pomeria occupantur, quæ Respub. luere ex iustitia distributiua debet. & hanc sententiam supponunt Induciæ Belgicæ 1609. *ar.* 19.

De purgatione canonica.

RArus hodie purgationis, præsertim in tribunalibus sæcularibus, vsus. tamen ex tabulis legum Brabantiæ *an.* 1312. qui de delicto conuinci non potest, cum tertiâ fide dignorum manu se purgat. si exterus est, iurat se esse innocentem, & compurgatores inuenire non posse. purgationes aliæ vulgares & canonibus damnatæ sunt, & ab vsu desertæ. nisi quòd indocti quidam de facto adhuc nuper vsi sunt probâ aquæ frigidæ; in eam iniectis iis, qui de magia accusabantur: quæ si mergerentur, insontes; si supernatarent, reæ credebantur. improbato Iure & more.

De aggeribus non rumpendis.

MAgna pars ditionum Belgicarum mari alluitur, aut insignibus fluminibus vehementi fluxu intersecatur. Principes ergo nostri semper summam aggerum curam habuerunt. Extant E. 23. *Maij* 1531. bina 7. *Septemb.* 1531. 26. *Octob.* 1547. ne quis quidquam faciat, quod aggeribus noceat, pecora in illos immittat, pascat, sentes, tribulos, gramen præscindat, munimenta rumpat, lapides, fasces, ligna, sepes auferat, frangat, incommodet; sub pœna amissionis nauium, curruum, arbitrariâ; fustigationis, etiam capitis. vt in littoribus (dunis vt vocant) Flandriæ quatuor Membra, seu Ordines Prouinciæ, tot personas committant, quot opus videbitur, quæ inspiciant, impediant, mulctas exigant. Malitiosi maris fluminumque aggerum ruptores igne puniuntur. *l. vn. C. de Nili aggerib.* priuatarum fossarum, quò priuatus tantùm ager aliquis inundetur, arbitrariè, etiam ad mortem vsque, si

si damni quantitas, & circumstantiæ exigant.

De quæstionibus.

NOmen hoc indicat probationum defectu inquisitionem fieri per torturam. quod quàm graue sit, res ipsa loquitur: vt qui quem improbum asserit, per eculeum eius probationem fieri postulet. & tamen, vt nonnumquam id æquum esse leges iudicarunt; ita Iudicibus valdè incumbit, vt circumspiciant accuratissimè an omnia legum requisita adsint, antequam quæstionem decernant: quadrato agmine in causa criminali procedant, iuxta leges & edicta. de quibus suprà *tit. de mod. proceden. in caus. crim.*

In Gallia sanè S. Ludouicus ad vnius testis, vel maximæ fidei quamuis, noluit quemquam torturæ subiici. quod & hîc habent multarum vrbium priuilegia. mores etiam nostri legibus derogant, quæ personas honestas ac nobiles ab eculeo eximunt. sed neque vsus seruat *l. si quis. C. de cust. reor.* vt Iudex reos interroget præsentibus aliquibus honestis personis, vt immodicè sæuientibus fræni quædam temperies adhibita videatur: sed aduocatus & procurator Regius alicubi solet adesse, sed in inferioribus subselliis duo Senatores, qui torturæ modum arbitrantur. sed neque eas leges seruamus, quæ in ciuilibus negotiis aliquando torturæ locum faciunt. Breuiter apud nos de quæstionibus Damhouder. *prax. crim. c.* 35. 36. 37. 38. 39. 40.

De abolitionibus & remissionibus.

SEntentiam passos restituere, crimen abolere, pœnas remittere solius est Principis. quare E. 27. *Octob.* 1469. 2. *Maij* 1500. 13. *Aug.* 1518. 12. *Iul.* 1611. *ar.* 45. aliisque vetitum est., ne quis omninò officiarius possit reis saluum conductum dare, sed teneantur aduersus eos sine conniuentia proce-

procedere, sine vllius salui conductus respectu, qui non secum ferat sigillum Principis: sed neque qui litteras à Principe obtinuerint, eximantur; nisi eas Concilio Prouinciali præsentent, & preces verificent. E. *13. Aug.* 1518. neque quantæuis auctoritatis officiarij, qui remissiones dare consueuerint, aliter eas possint deinceps concedere, quàm vt primùm parti satisfiat, verificatio & decretum per easdem reseruetur Concilio Prouinciali, & mulcta ciuilis illic soluenda. excepto supremo Bailliuo Flandriæ; qui mulctas ipse recipit, & dat rationes. E. 2. *May 1500.* 3. *Ian.* 1541. quam si delicto condignam reus in ære soluendam non habeat, luat in corpore, fustigatus, carcere, panis & aquæ inediâ maceratus, peregrinatione, aliâve pœnitentiâ afflictus. E. *21. Oct. 1516.* Permittit tamen edictum 1541. saluum conductum dari ad sex hebdomadas *ar. 9. & 10.* vt à defuncti proximo herede homicida veniam petat; supplicibus ceremoniis. de quibus Kindtschot. *tract. de remission. homicid. c. 13. n. 7.*

Quare neque transigere licet officiariis super delictis qualificatis E. 20. *Decemb.* 1527. scilicet homicidio insidioso, & deliberato, ex antiquo rancore, falso testimonio, falsificatæ monetæ, stupro violento, latrocinio, seditione, blasphemiâ, incendio, expilatione piratica, & similibus: compositiones huiusmodi nullæ sunt, componentes puniuntur officiarij, & rei: interdictum, ne qui saluum conductum dilationémve dent, nisi pro publico bono, & iustitiæ, & de consilio Concilij. quæ generali themate complectitur E. 12. *Iul.* 1611. *ar.* 44. vt non liceat officiariis cum reis transigere super criminibus extremo supplicio, perpetuo exilio, seu aliâ corporali pœnâ, secundùm Edicta, patriasque consuetudines dignis: & Procurator Fiscalis huiusmodi officiarios & reos iure persequatur; nisi sicubi Principes aliud priuilegium concesserint.

Litteræ igitur remissionum offerendę sunt Concilio Regio, & quidem intra sex menses. quæ tamen non habent locum in iis, qui sunt in carcere stricto: nec retardant Procuratorem genera-

generalem, si preces sciat esse subreptitias, quin anticipare illos possit, & petere reiectionem. E. 5. *Iul.* 1551. tenenturque impetrantes E. 10. *April.* 1547. 1. *Febr.* 1552. litteras remissionis, & desuper litteras citationis à Concilio leuare, & eas per ostiarium officiario loci, & parti insinuari, & diem præfigi curare, intra sex septimanas; alioquin pro nullis & inefficacibus habentur.

Si porrò Concilium informationes non satis inueniat esse exactas, potest decernere, vt aliæ fiant, quæ decisioni sufficiant. E. 3. *Ian.* 1541. Quoniam verò frequentia homicidiorum nascitur ex ebrietate, Concilia, quæ de precibus cognoscunt, E. 30. *Ian.* 1545. iubentur diligenter animaduertere, an commissa sint per ebrietatem, curareque huiusmodi homicidas apprehendi, & in exemplum puniri. atque in posterum dari vetantur, & datæ declarantur subreptitiæ omnes litteræ remissionum homicidiorum, aliorúmve delictorum commissorum in encœniis, primo eorum die, & duobus sequentibus; prohibenturque eorum Iudices decretum eo non expresso interponere. atq; insuper mandat edictum vt hospitibus, penes quos homicidium acciderit, tabernæ exercitiũ interdicatur, in tempus, quantum religioni Magistratuum videbitur.

Et E. 7. *Oct.* 1531. iam ante *ar.* 32. decretum erat, ne facilè abolitiones darentur homicidiorum, aliorumque delictorum in ebrietate commissorum; sed contra rei punirentur primò ob delictum, secundò ob ebrietatem.

Quoniam verò Edicta quamuis pluries repetita delictis compescendis, & remissionibus restringendis iuxta Principum intentionem non suffecere, seu per negligentiam officiariorum, seu facilitatem concessarum abolitionum, seu in earum litteris admittendis fiscalium remissiorem diligentiam; officiariorúmve, quibus hactenus licuerat super homicidio componere, non debitam informationem: multis verbis edixit Car. V. E. 8. *Oct.* 1541. vt infra annum ab homicidio commisso litteræ non dentur. vt statim loci officiarius debitam capiat informatio-

Ff nem,

nem, eamque secretam habeat, parti aut cuiquam priuato non edat: vtrumque sub pœna arbitraria.

Officiarius informationes ita statim, aut postmodum factas exhibeat Concilio Prouinciali, illudque declaret an homicidium simplex sit, & compositioni permissum: & si sic, procedi ad eam possit, seruatâ tamen ordinatione 12. *Martij* 1527.

Nulli componere possint, qui non fecerint informationem ex continenti à perpetratione homicidij.

Statim officiarius omni diligentiâ laboret, vt homicidam apprehendat: si nequiuerit, omnibus bonis in suo territorio sitis manum iniiciat, repertorium faciat, informationi adiungat: si apprehensionem neglexerit, priuetur, & centum florenos luat: contra apprehensum celerrimè processum compilet, alioquin arbitrariè puniatur.

Vt homicida de vna ditione in alteram fugiens non assequatur immunitatem, vbique sit punibilis; officiarius alter alteri informationes requisitus transmittat.

Qui litteras remissionis impetrarunt, infra semestre Iudicibus offerant, per eius lapsum euanescant, neque restitutio detur quacumque de causa: si secundas litteras remissionis obtinuerit, aurum sigilli pœnale rursum pendat. si quis casum suum non sufficienter narrauerit, non ampliationis litteras, sed remissionis secundas petat, in quibus primarum fiat mentio; alioquin vtræque subreptitiæ habeantur, neque ad secundarum examen ante primarum cassationem procedatur.

Qui litteras remissionis obtinuerit, personaliter eas Iudici offerre teneatur, & carcerem reclusum ingredi: nec antè Iudex relaxare eum possit, quàm ita recluserit, & informationes vt suprà factas visitarit.

Officiarius per viatorem cogatur ad dandas informationes suas obseratas: viator iungat relationi suæ: si ille renuerit, vocetur vt sumptu suo deferat; quin & corrigatur.

Fiscales diligenter expendant informationes, atque an assentire, vel dissentire debeant: possint tamen referre se ad discre-

discretionem Iudicis. Si sufficientes eas non inuenerint, possint postulare, vt repetantur. Iudex possit reiicere remissionem, si ita debere iudicauerit; tametsi fiscales consenserint. neque possit ex consensu eorum remissionis decretum interponere, non visis informationibus; sed his se debeat conformare.

Quin & pars læsa eas possit controuertere, negligentiamque fiscalium supplere: adeoque non tantùm pro ciuili suo damno interuenire; sed & pro publica vindicta. ita tamen, vt, si id per iniuriam fecerit, litis sumptibus, & arbitrio corrigatur.

Subreptitiæ ac nullæ censeantur litteræ, si quid tacitum fuerit, quo expresso difficiliùs fuissent concessæ; si quid expressum, quod factum alteret. v. g. quòd reus antehac frugi fuerit; occisus autem vitæ perditæ.

Libellus supplex aut supplicatio ciuilis, vt vocant, in materia remissionis locum non habeat.

Dilationes omnes reis concessæ sint peremptoriæ:

Processus summarius quantum fieri potest:

Mulcta ciuilis, non minor florenis viginti; maior, si qualitas exigat.

Si rei non sint soluendo, fustigentur, aut arbitrio Iudicis puniantur.

Componi autem non possit minori summâ triginta flor.

Ordinatio intelligitur de homicidiis mortis pœnâ dignis, non quæ ad tutelam, aut per casum accidunt, aut si læso non letaliter alia causa mortem creat.

Mulcta ciuilis non remittatur, nisi ob seruitium factum, de Regio consensu.

Tandem Albertus & Isabella 12. *Iul.* 1611. *ar.* 47. ad amussim iusserunt seruari Edicta 20. *Octob.* 1541. 22. *Iunij* 1589. præcedentibus ampliora, & nominatim vt in remissionibus & abolitionibus concedendis, qui litteras impetrarint, & eas obtulerint Curiæ cui inscribuntur, carcere concludantur; ibique

 suo-

ſuo ſumptu, aut eleëmoſynis, ſi pauperes fuerint, victitent, donec Procurator generalis informauerit ſe de re geſta, audito officiario, & læſa parte ſi qua fuerit, idemque procurator conſenſerit in rei relaxationem: quam obtinens teneatur cautionem præſtare de ſiſtendo ſe, quando iubebitur ex E. 3. *Ian.* 1541.

Quoniam verò rei abolitionem poſtulantes diutiùs ſæpè in carcere detinentur, iubet E. 27. *Octob.* 1623. vt Iudices à Rege conſulti poſtquam opinionem reſcripſerint, ſi cauſam gratiæ idoneam exiſtiment, ad menſem vnum abſtineant à peragenda lite, ſaltem à condemnatione ad eculeum, aut diffinitiua: ſi non exiſtiment, ad dies quindecim: quibus lapſis reſpectiuè non apparente gratiâ, aut ordinatione aliquâ inhibitiuâ, rem Iudices peragant.

Ex huiuſmodi litteris, etiam id ex ſtylo communi habetur, vt qui eas impetrant, famæ reſtituantur. tantùm Principis gratiâ reſtitui ſolet, quantum ſententiâ adimi poteſt. *l.* 1. *ſ. fin. C. de ſentent. paſſ.* & culpa etiam litteris vetatur reis deinceps obiici. vnde Iuris quidem omninò infamia aufertur: manet tamen ex facto apud probos grauata exiſtimatio.

Solent DD. in *Auth. clericus. C. de Epiſc.* tradere gratiam clerico factam non prodeſſe. in Gallia caſus priuilegiatos vſurpant, quibus Regij Senatus clericos iudicant; adeoque Rex indulgentiam facit. Bugnion. *leg. abrog. l.* 2. *ſec.* 145. ſed tamen quoad excommunicationes & irregularitates homicidis imminentes, ſimileſque pœnas canonicas ea gratia non extenditur.

Quoniam verò vbi delictum non eſt ibi locus eſſe non poteſt vindictæ, neque hærere debent reliquiæ pœnarum vbi non fuit culpa; idcirco gratia conceſſa per viam Iuſtitiæ, ſeu declarata accuſati innocentia, omnia omninò ſunt reſtituenda: alienata aliàs non reſtituuntur, poſtquam per ſententiam confiſcata fuerunt; ſed tantùm quæ adhuc penes fiſcum ſunt. conſumptos ergo fructus is non reſtituit, ſed extantes.

Etiam

Etiam actio confusa per confiscationis causam, ea per restitutionem plenam reducta ad non causam restituta intelligitur: ita iudicatum in Concilio Brabantiæ 24. *Decemb.* 1591. quòd si annotata tantùm bona fuerint, nulla sententia lata, quando non ipso iure bona in confiscationem incidunt, mulò magis id obtinet; nam eo casu reo pendente inquisitione mortuo, annotata etiam ad heredes transmittuntur, quando per mortem illa reorum exspirat.

Sed & hîc Barones aliiq; domini territoriorũ gratiæ Principalis approbationi, seu interinationi, vt loquimur, opponere se possunt, si obreptum est Principi; quod illi amore Justitiæ, non cupiditate bonorum suo in territorio sitorum, proponere velint.

Sed gratia iam per Principem facta, bona illi etiam restituere tenentur: sed si iam publicata illa fuerint, & magis si alienata, restitutio eò non porrigitur, nisi in litteris disertè id exprimatur.

Statutum hîc fuerat Ducis Albani tempore, vt à vasallis concessa gratia (si quibus concedendæ facultas iure competeret) opus haberet approbatione, seu interinatione: sed id, totaque criminalis illa instructio, Pace Gandensi, sublata est: & Edictum 12. *Iul.* 1611. *ar. fin.* iubet edicta priora, præsertim data 20. *Octob.* 1541. & 22. *Iun.* 1589. exactè seruari: illis autem mandatum fuit, vt huiusmodi vasalli de Jure illo suo docerent, titulosq; exhiberent: quod cùm non satis sit factum, non adeuntur modò vasalli, sed Princeps. Sed & si vasalli illi quibus facultas illa competeret, per sordes cum scandalo & Reipub. damno, potestate abuterentur, rei à Procuratore generali accusari, & obiecta gratia SC. reuocata, puniri poterant.

Quamquam remissiones reorum hodie non frequententur, non tantùm in locis sub diuersis, sed eodem supremo Domino existentibus, sed corrigi ij possint tam in loco delicti, domicilij, quàm vbi apprehenduntur, sicut debitores in ciuilibus arrestantur, & *ar.* 11. edictum 28. *Nouemb.* 1541. in omnibus locis

cis punibiles declarat, & omnes officiales ad transmittendas inuicem informationes obligat: tamen quibus & quo casu gratiæ faciendæ facultas competit, non licet tamen ad vitandas fraudes, & quia optimè loci delicti Dominus de veritate negotij potest esse informatus, & dispicere an ad terrorem exemplo opus sit, an gratia spē impunitatis non sit paritura, (nisi soli illi loci delicti domino, præter Principem) componere. & ad hanc restrictionem videtur spectare quod *ar.* 5. dicitur, *vande Stucken gheschiet in hare baenderyen.* & *ar.* 10. ne saluum conductum dent, quando delictum accidit extra eorum territorium.

Tametsi etiā in Gallia omnium homicidiorū à Rege petenda sit remissio, & ferē concedi prohibetur nisi iis, qui defensionis suæ causâ aut casu occiderint, tamen apud nos tales à Iudice possunt declarari innocentes, & absolui, sicut in læto Introitu *ar.* 27.28. addicitur necessarium & fortuitum homicidium nemini fraudi futurum, vt *ar.* 29. edicto 28. *Nouemb* 1541. tales excipiuntur, & qui vulnerarint tantùm, & posteà ab alio accidente superueniente sunt extincti. quia tamen necessitas defensionis, inculpata tutela, imprudentia non grauis culpæ, & accidentis superuenientis efficacia difficilis est probationis; solet etiam apud nos recurri ad Principem.

Adeoque illo recursu tum magis opus est, quando etiam probata est culpa eius, qui homicidium commisit, quamuis non omninò dolus, aut saltem alia circumstantia doli delictiq; causam minuit. quare eo explicito nouę litterę poterunt impetrari ab oratore, qui per simplicitatem lapsus, in prioribus precibus rem non rectè proposuit. Sic *ar.* 21. & 22. E. agitur de sub & obreptione generatim; vt si quid explicitum, subticitùmve sit, quod Principem mouere potuisset, reddatur gratia inualida, præsertim si quid ex Iuris præscripto aut styli consuetudine sit exprimendum, aut iusta causa suadeat Iudicis arbitrio. v.g. si expressa non sit magna occisoris negligentia, alia veniæ impetratio in eodem genere delicti, vel interuentus

uentus amicorum homicidium auertere conantium.

Etiam iusto iracundiæ calore occidens tenetur pœnâ homicidij, præsertim ex interuallo occidens; & mulctâ per edictum præscriptâ impetratis venialibus codicillis castigatur. neque contra verum homicidam ex *ar. 29.* edicti minor mulcta statui potest, sed facilè maior. sed ex insidiis occidens, non solet obtinere gratiam: si tamen Princeps ex certa scientia, & potestatis plenitudine eam concederet, non posset reiici. si tamen litteræ approbationem exigant, causæ cognitio desiderabitur.

Et quamuis Car. V. decreuerit ne homicidia prętextu ebrietatis excusata essent, veniáve iis daretur, sed duplici pœnâ rei punirentur; tamen id vsu receptum non est: sed ebrietas minuit delictum vsu patriæ. quin & in Hispaniis, vbi illud vitium magis est exosum, lege Regiâ; & Iure communi apud Romanos. *l. omne. §. per vinum. D. de re milit.*

Ante gratiam Principis, pacem à consanguineis obtinere suppliciter reum oportet; adeò quidem vt nec pax à defuncto data sufficiat, qui in isto articulo reciprocam adeò condonationem spectat: heres enim ex statuto aut moribus, non iure hereditario condonãdi ius consequitur. & in Brabantia speciali iure lęti Introitus *ar.* 21. non aliter dari potest homicidis venia, quàm si reconciliati fuerint cum consanguineis. at si illi consanguinei irrationabiliter sint inexorabiles, Senatus declarat reum partibus suis satisfecisse præstando oblata, aut à Senatu præscripta.

Quare & consanguinei pacem dare possunt, etsi non sint heredes: neque dando se censentur immiscere. extraneus autem heres bonorum institutus, si remittat, censetur eo ipso hereditatem adire: quia non nisi vt vniuersalis heres bonorum potest id facere.

Pacem ab omnibus heredibus obtineri tutius: omnes vocari & audiri æquius. si minor maiorem partem audire pertinaciter noluerit, à Principe seu summo eius Concilio ad rationa-

tionabilem modum constringi, & ad pacem inuitam etiam cogi posse humanius est.

Quæ ferè omnia latè tractat Kindtschotius *tract. sing. de remiss. homicid.* aliasque plures quæstiones ex edictis nostrorum Principum quotidie nascentes. sed & praxim omnem Belgicã atque stylum impetrandarum abolitionum, & remissionum, & cognoscendarum, & decernendarum, quibus in reatibus admittantur, quibus negentur, quæque eò spectant, optimè executus est Damhoud. *prax. crim. c.* 146. 147.

De pœnis.

POenæ pleræque hodie sunt arbitrariæ. statuendæ ex causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, pro religione iudicantis. vt considerat omnia *lex, aut facta. D. de pœn.* ex hisce *adsit regula peccatis, quæ pœnas irroget aquas: Nec scutica dignum horribili sectere flagello.* Idque obtinere non in pœnis legalibus dumtaxat, sed & iis, quæ Constitutionibus, & placitis continentur vult Bugnion. *leg. abrog. l. 6. coll. 73.* quod valdè etiam per consuetudinem receptum est, quoad pœnas legales, præsertim in Belgio. maximè in casibus, quibus desunt pœnæ statutariæ. Atque Antuerpiæ adeò quidem, vt reus Senatorum sententia, vt alibi ferè obtinet, & desiderat instructio criminalis anni 1570. non damnetur ad certam pœnam; sed addicatur arbitrio Præfecti vrbi, seu Marcgrauij, qui gladij potestatem exercet: atque is de genere pœnæ statuit, exequiturque.

Pœnæ dupli, tripli, quadrupli hodie non frequentantur, sed quod interest. non legales aliæ; v. g. neque ea quæ in *l. si quis maior. C. de transact.* proponitur aduersus eos, qui iuratæ transactioni per Numen, aut salutem Principum contraueniunt; & casu *l. conductores. C: locat. l. si quis in tantum. C. vnde vi.* &c. ad eumque modum nec obtinere volunt *l. si quis nolente. 24. C. de neg. gest.* hodie quidam volunt expensas prohibente quamuis domi-

domino factas repeti, quòd per leges Christianas ex alieno lucrum fieri non debeat. sed non vsque adeò ea ratio concludit si domino vtiles non sint, si abrasionem concedat.

Iure stigmatibus facies deformari vetita est. *l. si quis. C. de pœn.* in Francia sontibus in fronte lilium imprimitur; in his locis stigmata, pro ratione locorum diuersa, tergo vel humeris. alicubi furibus auris abscinditur.

De pœnis legalibus & consuetudinariis, seu quibus hodie ferè delicta vindicantur, in Gallia dedit Ioan. Duretus breuem vtilemque tractatum *De pœnis & mulctis ciuilibus.* apud nos Iudocus Damhouderius *Praxim criminalem.*

Id quoque obseruandum est, quòd vt olim cum inscriptione de populo quilibet accusare poterat, hodie denuntiare quidem flagitium licet cuilibet, sed accusare tantùm officiario publico; eique mulctæ cedunt, seu fisco, ærarióve dominorum localium, non priuato.

Enimuerò quia productis ad supplicia reis contingere aliquando solet, vt ij ab aliqua in matrimonium petantur, aut, reste fracto, suspendio excidant; quæsitum pluries fuit, dimittendíne sint, an ad pœnam reuocandi? Et certum est postulationem meretricis executioni damnationis iure non obstare: sed nonnullibi mores, qui etiam Iudicato Cur. Mechl. firmati sint apud Christin. *vol. 2. decis. 48.* ei autem, qui socordia carnificis reste exciderit, aut non primo ictu capite sit minutus, nec mores quidem nisi tumultuantis populi suffragantur. & calumniæ vitandæ causâ ex stylo sæpè solet sententiis inseri, reum suspendendum esse *ita, vt mors sequatur.* de eo tamen qui miraculo potiùs seruatus creditur, referendum ad Principem videbitur: qui rem mirandam pro causa gratiæ, & remissionis potest assumere, miraculi verò ratio prædicari non potest, nisi ab Episcopo examinata, iuxta Trid. *sess. 25. decret. de innoc. vener. & reliq.*

§. De cadaueribus punitorum.

EX E. 3. *Feb.* 1511. in Flandria adempta poteſtas omnibus Juſtitiariis, vt ne cadauera punitorum auferantur ad ſepulturam ſacram, ſine ſpeciali indulto Principis: ſed ad terrorem exemplarem in furcis, rotis, patibulis relinquantur. Jubetur tamen dari ſacrum viaticũ decreto Prouinciali Mechl. 1607 *t.7.c.6.*& officiariis, vt id permittant, mandatur E. ad *illam Synod. ar.* 10. in illiuſque honorem frequentiùs, qui non fuerunt grauium criminum rei, ſepeliuntur.

§. De bonis damnatorum.

IN Francia, & Burgundia, & ferè hîc qui confiſcat corpus, confiſcat bona. quæ plerumque dominum altæ Juſtitiæ ſequuntur, qui gladij poteſtatem exercet. ad quem pleraque talia Regalia tranſlata ſunt. Nonnullibi tamen in Gallia, & multis Belgicæ locis, excepto crimine læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ confiſcationi bonorum locus non eſt; ſed ea ad cognatos tranſeunt quocumque gradu. alicubi bona mobilia non immobilia confiſcantur. alicubi hæc annotantur ad vitam rei. alicubi nullo ex crimine publicatio fit bonorum. alioquin Ordin. crim. 9. *Iul.* 1570. iubet officiario bona vnà cum corpore addici. quæ tamen E. 22. *Ian.* 1589. vetat intra annum vendi, vel ante executionem citationis perſonalis. & E. *crim.* 1570. iubentur proferre ſua priuilegia qui ſe aliqua habere dicunt, ne bona ſua confiſcari poſſint, ſub pœna priuationis.

Porrò confiſcatione per Principis Concilium inflicta, bona ſub aliis dominis ius confiſcandi habentibus ſita iis cedunt: dummodò expenſas pro rata non detractent. Inſtruct. Concil. Fland. *an.* 1531. 2. *Aug. ar.* 5. *an.* 1533. 16. *Iul.* At verò in confiſcatione ex cauſa hæreſis, duriùs canones, quàm leges ſtatuunt; vt & filij bonis careant parentum hæreticorum. quos canones Edicta patria ſequuntur, & Curia Mechl. apud Chriſtin. *vol. 2. d. 35.*

d. 35. quamuis vſus ſit remiſſior. vt ſuprà diximus *de hæret.* & Chriſtin. *vol. 2. d. 36.*

Sed & E. *20. Nouemb.* 1549. confiſcatio ex cauſa hæreſis inflicta cedit Principi, non vaſallis; à quibus feuda mouentur, aut ſub quorum territorio bona ſita ſunt: ſaluis alioquin eorum iuribus, & dato alio vaſallo, &c. idque quando bona confiſcantur propter tranſgreſſionem edictorum Regiorum in materia hæreſis: ſed ſi tamquam hæretici condemnentur à Judicibus Eccleſiaſticis, & condemnati morte afficiantur, feudalia bona ſeu alia à vaſallis dominis mouentia eis cedunt: ſi alioquin ius confiſcationis habeant. quòd ſi à Iudicibus ſæcularibus hæretici damnentur ob violata edicta, & quia ſunt hæretici, & pertinaces extremo ſupplicio afficiuntur; fit partitio in dimidias inter Regem & vaſallum. In crimine autem læſæ Maieſtatis humanæ, confiſcatio tota cedit Principi. ſaluo in reliquis iure domino feudali. Quibus de rebus videri poteſt quid Curia Mechl. cenſuerit apud Chriſtin. *vol. 2. d. 35. 36.* 37. atque inſuper declaratur, quòd confiſcatio læsâ maieſtate diuinâ vel humanâ locum habeat, non obſtantibus conſuetudinibus, priuilegiiſque in contrarium prætenſis.

Ex tabulis legum Brabantiæ *an.* 1312. qui bonis priuatur ſi vxorem & liberos habet, his pars media, altera toparchæ cedit: ſi non habet, bona eius omnia toparchæ. quippe communio bonorum id exigit; quodque nemo ob alterius crimen puniri poſſit: ſed illud ſuum auctorem teneat dumtaxat. atque ideò apud nos ferè paſſim rei bona tantùm fiſco cedunt. quæcumque alteri ex communione coniugali cederent, ſoluto aliter matrimonio etiam hoc caſu cedunt. fiſcus ſuo modo reum tantùm repræſentat.

Liberos porrò reorum maieſtatis inſontes, neque ab honoribus, neque ab hereditatibus extraneorum ſubmouent mores Franciæ. Boër. *in tract. de ſeditioſis. §. 6. n. 23.* Judicium tamen etiamnum poſt mortem inſtitui, & bona auferri poſſunt.

Cæterùm E. 13. *Mart.* 1549. declaratur quòd Flandri quicum-

que priuilegium habent, vt eorum bona confiscari non possint, non comprehendantur edictis confiscationem irrogantibus, ita tamen vt rei secundùm demerita puniantur, seu corporaliter seu pecuniariter.

§. *De his qui sibi mortem consciuerunt.*

IVre statutum vt qui tædio vitæ nō conscientiâ criminis manus sibi intulerunt non puniantur. *l.1.& 2.C.de bon.eor.qui sibi mort.consciner.* sed mores nostri cadauer eorum in furcam agunt, nisi arguantur phrenesi aliquâ capti, aut satis compotis mentis non fuisse, similíve causâ affecti. *c.aliquos.c.si quis insaniens.c.illa.§.fin.*15.*q.*1.*c.si non.c.placuit.*23.*q.*3.*c.quicumque.*23.*q.*8. bonaq; confiscantur.atque meritò mores id mutarunt. nemo est membrorum suorū, corporis, ac vitę dominus, vt perdere ea aut prodigere, nisi in Rempub. possit. vt olim nec licuerit moribus membrum præbere amputandum, ad seruationem totius, nisi causâ à Magistratu cognitâ, & auditis consanguineis. quod prudentiores chirurgi in tibiis, membrísve præscindendis, calculoque exscindendo etiamnum exigunt.

§. *De mulctis.*

QVibus & viui emendantur, quæ & ex damnatorum bonis graues sumuntur, vbi confiscatio priuilegio excluditur; ordinatum *penult. Maij* 1617. vt nulla Concilia aut collegia sub prætextu operum piorum mulctas & emendas ex publicis delictis indictas, aliò quàm ad fiscum diuertant: sed ex delictis leuibus, seu contrauentionibus politicarum ordinationum, cum moderatione illas earúmve partem operi pio possint applicare.

§. *De his qui sibi quid adscribunt in testamento.*

NEc Africanus quidem in re sua testis est idoneus. nec rectè ergo quis sibi adscribit legatum in testamento, quod vt notarius aut pastor excipit. vetat id E. 12. *Iul.* 1611.

1611. *ar.* 12. vſque ad quartum gradum ciuili computu. de paſtore autem qui Eccleſiæ ſuæ quid adſcripſit, conſtat eum edicto non comprehendi: non enim ſibi ſuiſque ſcripſit. qui autem officio, aut paſtoratui adſcripſit, apparentiùs dubitatur: ſed tamen nec ille ſibi ſuiſque ſcripſit, ſed officio. quarum rerum in Iure magna eſt diſtinctio. nam & eo deciſum eſt, conſulem filiumfam. rectè apud ſeipſum adoptari. *l. ſi conſul. D. de adopt.* aliaq; ſimilia ex legibus *ibidem in gloſſ. citatis.* ritè fieri. an porrò fructus ſcriptoris tempore ceſſurus, ei auferri, & alteri, qui adſcriptum fortè onus ſit ſuppleturus (nam ne id omittatur defuncti intereſt, pro animæ refrigerio) dari poſſit, ex perſona, & rei circumſtantiis deliberari poteſt.

Ad leg. Iul. de ambitu.

DIximus *ſuprà tit. de ſuffragio.* & *tit. de iuriſ. omn. Iud.* quàm hîc ſit vetitus legibus ambitus, & adipiſcendorum officiorum intuitu data pecunia, vel reſignandorum acceptα. E. 2. *Maij* 1627. & 20. *Septemb.* 1539.

De falſa moneta.

MVlta hîc ſunt edicta de moneta, & fraudibus, quæ multæ in ſpeciem aliquam incidunt falſitatis: breuitatis causâ eas remittimus ad titulum generalem *infrà de veteris numiſmatis poteſtate & moneta.*

De ſeditioſis, & iis qui plebem audent colligere.

CRimen magnum ſeditio: oriri ſolitum ex collegiis conuentibúſve illicitis. tumultus Belgici documento ſunt: quorum initia conuentus turbaſque ſuas habuerunt: effectus ſæuiſſimi belli ciuilis adhuc durant. nec edictis ordinationibuſq; principia, nec armis ſeceſſiones compeſci potuerũt. in

in cuius rei ingrata memoria, etiam pauca verba nimia ſunt.

De ſeditioſis breuiter more ſuo Damhoud. *prax.crimin. c. 63.* late nos de iis *In Indicc lib. 3. c. 9.* earumque de cauſis & remediis.

LIBER X.

De iure fiſci.

IVra fiſci diuerſimoda ſunt, quædam iuris proprij quadamtenus ſicut ſingulorum, vt prædia, agri, paſcua, nemora, ſyluæ, canones, emphyteuſes, aliique huiuſmodi rerum quaſi propriarum prouentus, ac dominici reditus: quæ hodie omnia nomine domaniorum veniunt, Principi olim relicta ad ſuſtinendam Maieſtatem. & alia ſunt quæ extra ordinem exiguntur in neceſſitates publicas belli & pacis; tributa, indictiones, collationes, munera, perſonis aut patrimoniis indicta; denique compendia ex delictis prouenientia, vt ſunt bona damnatorum quæ in fiſcum rediguntur, atque hæc propriè iura fiſci dicuntur, alia ærarij, aut res dominicæ. Atque ad hæc generalia fiſci iura ſpectant ferè quæcumque tribus poſterioribus libris Codicis traduntur. quorum plurima à moribus noſtris diſſident; mutata Republica, eiuſque gubernandæ more modoque; adeoque & nominibus Officiorum, Ordinum, & Dignitatum: æquitas tamen manet rerum negotiorumque; vt leges his libris proditæ, ſi quando factis conueniant, quoad deciſionem poſſint applicari, quatenus mores non contradicant. In hos tres poſteriores libros Codicis planè atque ad mores noſtros optimè ſcripſit Chriſtinæus *vol. 5.* vt negligenda non ſit

fit eorum lectio, præsertim iis qui in publicis rebus versantur, dummodo vsus hodierni sale condiatur.

Fisci priuilegium est vt in bonis debitorum hypothecam habeat: sed *Pœnis fiscalibus creditores præferri*, adeò est verum, vt non tantùm ad debita rei pridem contracta fiscus teneatur, sed & ad quæcumque ante acceptum iudicium acciderunt. *l. post contract. D. de donat.* vt & controuersiâ pendente res accusatorum inquietari, describíve fas non sit. *l. 7. C. de iur. fisc.* quod non vbique hodie seruatur. ob crimen tamen læsæ maiestatis & pauca alia rei ipso iure bonis excidunt, & fisco ea cedunt. litteris tamen publicis aut sententia declaratoria opus est, si crimen negetur, antequam capi possint. *l. 5. C. de iur. fisc.*

Ad iura Principum hodie referuntur res sacræ, sanctæ, publicæ, communes, nullius, adespotæ; sacræ quidem, quoad protectionem, sanctæ quoad directionem & subiectionem: aliæ penè etiam quoad proprietatem. Sacræ siquidem non sunt in alicuius dominio, & à nemine priuato vendicari possunt, *l. 23. §. 1. D. de rei. vind.* possunt tamen ab Episcopis & Ecclesiarum Rectoribus, quasi curatorio nomine; cùm in illarum dominio quodammodo censeantur. *l. 21. C. de sacrosanct. Eccles.* & ibi DD. Sanctæ res sanctionibus Principalibus tutæ sunt, vt morte punitur qui muros vrbis transcendit. *l. vlt. D. de rer. diuis.* quam pœnam mores mitigant pro arbitrio Iudicantis, & temporum pacis, bellíve, ac periculi ratione.

Feræ nullius sunt, sed capientium iure fiunt. at venationibus hodie per edicta prohibitis quasi in dominio Principum sunt. non tamen tam proprio. vt si quis feræ insidiatus fuerit, pauidumque leporem, & aduenam laqueo gruem ceperit, furtum committere censeatur, aut conscientiam lædere, periculo pœnæ legalis dumtaxat subiectus. Quòd si autem fundi fructus, siue principalis siue priuati, in venatione consistat, vt in syluis circumseptes, res habet difficultatem: vt & in auibus, quarum venatio fit in palustribus locis, munitis circumquaque fossis, aucupe insidias salictis vestiente. Bus. *ad l. 16. D. de seruit.*

seruit.

seruit. rust. prad. sic enim feræ habitæ occupatæ iam, & in potestate esse videntur; adeoque in dominio sic detinentis, aut circumscribentis. Sunt & bona syluis proxima alicubi eâ lege in emphyteusim data, ne possessores feras syluis egressas inuadere, aut nocere, fructus quamuis depascentibus, possint: sed cornu tantùm, ære, alióve sono, aut strepitu depellere. procul dubio ea pacta seruanda sunt, & rei sub eo modo datæ possessorem obligant.

Venatio tanti fit, vt in Batauia res nobilium eò deducta sit, vt eo solo à plebeis distinguantur, quòd his vetitũ, illis permissum sit lepores & cuniculos venari: Baronibus autem quotannis capere vnum ceruum. Grot. *in Isagoge iur. Holland. l. 1. p. 14.* qui *eod. l. 2. c.* 4. plura de venatione, piscatione, aucupiis. edicta super venatione edita infrà indicamus *tit. de venatione ferarum.*

Res communes, flumina, viæ, aliæque Regiæ factæ sunt. *tit. quæ sunt Regal. in feud.* de quibus ceterisque vtilibus Iuribus Regiis latiùs diximus in *Iudice lib.* 4. *c.* 11. vnde hodie & Insulæ in flumine Regio natæ, Regis sunt, non dominorum fundorum adiacentium, Bugnion. *leg. abrog. lib. 6. coll. 115.*

Bona etiam vacantia & adespota fisco acquiruntur, non ærario ciuitatum *l. 1. l. vlt. C. de bon. vacan. lib.* 10. sed fisci ius multæ Imperij ciuitates, & Principes vsurpant: Episcopi itidem, & Prælati: quà dominia & territoria possident. Sed an quà Episcopi sunt, eis competant? & dicendum est spiritualia competere. vt si Insula in mari sit nata, quò se non extendit certa parochia, sed dumtaxat diœcesis, satis in ea fructibus, Episcopo decimę spirituales competẽte. quoniã 13. *x. de decimis.*

Ad bona vacantia spectant hereditates iacentes, vbi nullus apparet consanguineus, agnatus, cognatusque; aut si apparet, hereditatem adire nolit. *Vacantia*, inquit Honorius *l. 4. C. de bon. vacant. mortuorum bona tunc ad fiscum iubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel iuris titulo, legitimum reliquerit intestatus heredem.* Enimuerò multis hîc locis omnes ab intestato succes-

successiones in duo latera diuidi mores iubent: & quæsitum est sæpiùs, cùm ab vno latere nullus appareret consanguineus, an alteram hereditatis partem occuparent ex altero latere consanguinei, an fiscus? & diuersimodè sæpiùs iudicatum refertur. Iustius tamen & æquius videtur, vt fiscus excludatur. videntur enim mores, qui in duo latera hereditatem diuidunt, præsupponere ex vtroque agnatos, cognatósque exstare: neque à iure scripto recedere censeri, nisi quatenus disertè scripto expressum, aut facto vsurpatum videtur. Quare in rebus iudicatis à suprema Curia Mechliniensi, quas citat Christin. *vol.5. d. 220.* animaduertedum est, Curiam non contentam fuisse generali themate consuetudinis; sed iniunxisse semper specialem probationem fisco, quod aliàs facto ipso alterum latus exclusisset, & vindicias interim alterius lateris consanguineis dedisse.

Et quamuis hodie huiusmodi fisci compendia quasi minoris momenti aulicis heredipetis nonnullibi indies tribui soleant: veterum tamen Principum frugalior administratio vacantia bona, & fisco debita, peti prohibuit: & nisi Princeps motu proprio largiretur scripturam à secretariis confici. *l. 1. & l. vlt. C. de pet. bon. subl.*

Bona naufragorum quasi adespota, derelicta, mari seu Principi eius domino cessa multam inhumanitatem alicubi patiuntur aduersus *Auth. nauigia. C. de furt. l. 1. C. de naufrag.* quæ fisco ex priuatorum naufragio compendium quærenti & res tempestate eiectas sibi vindicanti aduersantur. quas summi etiam Pontifices in Bulla Cœnæ censuris adiuuerunt. Sed vt Paulus III. eos, qui operam dederint rebus naufragis à mari vindicandis, & seruandis *Constitutio in c. accepimus.* ita optimus maximus Princeps Carolus V. E. *10. Decemb. 1547.* iustissimè sanxit, vt bona naufraga è mari vindicata nemo auferat, occupet, sed omninò nuntiet Principis quæstori extraordinariorum prouentuum, eius locumtenenti aut officiario ordinario loci; qui eis pro opera dignè satisfaciat: qui secus fecerit, vt puniatur.

cistæ clausæ, onera colligata non referentur: nemo tunc ad littus armatus veniat: seruentur bona inuenta mercatoribus, & dominis; aut fisco, si nemo intra annum compareat & dominium probet: alioqui si probet, sua recipiat, solutis expensis seruationis. quòd si tanto tempore bona deteriorarentur, à quęstore subhastentur, & pretium domino aut Principi seruetur: illi quidem intra annum venienti; Principi autem eo lapso censeatur acquisitum.

Bona aliàs pro derelictis habita, etiam fisco cedunt, vt cætera adespota hodie, non occupanti. vnde & censent plerique titulum *pro derelicto* moribus cessare: vt & *pro suo*. Sed vt est Juris naturalis is vterque titulus; ita moribus omninò non extinguitur, etsi in foro non prosit. quare derelicta, adespota, venatu, piscatu apprehensa naturaliter apprehendentium fieri non dubito; etsi eis in foro auferrentur.

Ad maris dominatum, quem vicini mari Principes hodie vsurpant, etiam pertinet, vt Insulæ in eo natæ Principi cedant. cuius rei varias in Batauia consuetudines tangit Grot. *in Isagoge iur. Holland. l. 2. p. 9.* terræ etiam per annos saltem decem inundatæ ad maris dominatum deuoluuntur, idem *ibid.* quamquam pro æquitate, cùm adhuc ita recens est inundatio, edici à Principe solet, vt intra terminum aliquem temporis veteres domini terras à mari vindicent, illudque aggeribus oppositis excludant; alioqui iure suo excidant. cuiusmodi est edictum Car. V. 23. *May* 1531. An autem continuâ piscatione vetus dominus seu alio modo pristinum dominium retineat, tractat ibidem Grotius. Edicta Principum nostrorum, & indulta veteribus dominis aliisque concessa ita ferè loquuntur, quasi inundatæ terræ cùm mari factæ sint communes, adeoq; illius cuius est mare: gratiam tamen faciant, ad eas à mari vindicandas, aggeribusque cingendas.

Declaratum E. 12. *Iul.* 1611. *ar.* 24. & 25. vt quamuis ius reale in re immobili iuxta Edicta patria non acquiratur, nisi per legis operas coram Magistratu situs factas, vt fiscus tamen secundùm

cundùm Juris ſcripti priuilegium omnibus creditoribus admi-niſtratorum rerum dominicarum, quacumque in prouincia adminiſtrauerint, præferatur. etiam aduerſus liberos ſoluto matrimonio, & bona quoad proprietatem ad eos deuoluta, vtique cum onere inhærente.

Quò minùs per ignorantiam colluſionémve depereant Iura Regia; ſtatutum eſt E. 2. *Decemb.* 1511. vt nemo litiget de proprietate aliquorum iurium dominicorum Principis, non interpellato Procuratore generali; pro accuratiore defenſione: neque cum parte tranſigat; cum vllo Principis præiudicio, ſine ſimili interuentu: Aduocati, & procuratores in his non interueniant; ſed omninò denuntient, ſub pœna arbitraria.

Porrò E. 5. *April.* 1508. cauetur, vt nemo conferat, diſponat aliquod Regium beneficium, aut officium quomodocumque, ſed ſoli Principi, ſeu Locumtenenti generali reſeruatum ſit: ſecus factum nullum ſit, effectuque careat.

De curſu autem publico pridem decretum eſt E. 4. *Nouemb.* 1551. vt curſus cum cornu veredariorum ſit inhibitus, niſi pro ſeruitio Principis, aut de conſenſu magiſtri *poſtarum*. vt nemo litteras per equos citatos ad modum *poſtarum* mittat, niſi de eodem conſenſu; alioquin pro ſuſpecto torturæ ſubiici poſſit: officiarij & vigiles diligenter ad tales attendant, tranſitum denegent. Magiſter *poſtarum* citatos equos concedi non permittat, niſi perſonis exceptione maioribus ſibi notis. Curſus autem hodiernus aliter inſtitutus eſt, quàm vetus: nam ille publico & prouincialium ſumptu ſuſtinebatur. *l.* 1. *§. patrimon. D. de muner. tot. tit. C. de curſ. publ. l.* 12. hodiernus Præfectus eſt celerum curſorum, qui ſumptum facit, & equos diſpoſitos alit, litterarum vecturam vectigali pecuniâ locat.

De Iure Romano arces ſtruere cuique licitum fuiſſe creditur: *l. per prouincias. C. de ædif. priuat. l.* 1. *§. ſunt. D. de ſolut.* niſi in limite Imperij. *l. quicumque caſtellorum. C. de fund. limitof. l.* 11. multis locis mores id non permittunt, ſine domini ſuperioris permiſſu: neque loca ſua vallis munire; præſertim in limiti-

bus: minùs verò villam, pagum, municipium muris turribusq; circumdare, atque in vrbis formam redigere sine Principis indulto. sed neque furcas, patibula, cruces pridem collapsas restituere; minùs nouas erigere, sine superioris domini conscientia. quamuis illud Imperij insigne sibi competere quis sustineat.

Constitutum E. 21. *Febr.* 1547. vt nemini liceat erigere molas vento, aquis, equis agendas; nisi vbi cuilibet molere licitum est: nisi ex indulto Principis. sub pœna demolitionis & pecuniariæ. molas equis agendas, si quis infra decennium struxerit, vbi Princeps aut vasalli molas habent bannales, demoliatur: ante decennium structis ad vsus domesticos, structor vti possit, non vicinorum negotiationem.

Quoniam verò post E. illud 1547. multæ omnis generis molæ sunt erectæ, & plures domini erigendi facultatem sub annua recognitione concedunt, Iura Regia, in quorum hodie numerum venti & aquæ reiiciuntur, vsurpantes, multique alij intra priuatos parietes molas habent, magno precariarum vectigaliumque publicorum præiudicio; mandatum E. 21. *Iul.* 1628. vt passim illud edictum publicetur, ac simul omnibus mandetur, qui molas huiusmodi habent, aut habendi facultatem concesserunt, titulos suos exhibeant, vt auditis fiscalibus, quod oportuerit ordinetur.

Declaratum etiam E. & ordinat. 22. *August.* 1531. *ar.* 20. soli Principi supremo competere, recipere à subditis subsidia, dona, collectas, sub pœna dupli & arbitrariæ correctionis. id vetatur vasallis sine speciali indulto. quod & in Gallia obtinet Bugnion. *leg. abrog. l.* 1. *s.* 19. non admissis casibus, quos refert Bart. *in l. placet. C. de excus. mun. l.* 10.

Ad Regiam etiam dignitatem pertinent statuæ, vt nemo eas sine Principis nutu alteri erigere possit, nec sine illius sumptu cuius honori dicantur. *l.* 1. *l. vlt. C. de stat.*

Saluaguardia etiam Regiæ auctoritatis est. frequentatur tamen apud nos, vt quis Iudicem ordinarium accedat, in eiusque

que defensionem se tradat, aduersus alium sibi minitantem, cui pacem seruare Iudex iniungit: eamque seruare tenetur, vt offensa etiam capite luatur. abest tamen augustum nomen ab hac tutela.

Quibus casibus hereditas legatúmve per leges aufertur aliquibus vt indignis, mores vix vmquam id fisco assignant, sed proximo heredi.

De vtilitatibus denique fiscalibus totoque iure maiestatis latè nos egimus in *Iudice, lib. 4. c. 1. & seqq.*

De incolis.

TAbulis legum Brabantiæ prouisum 1312. vt qui aliunde in hanc ditionem habitatum venient ea ipsi, eorumque liberi libertate gaudeant, quâ apud suos vterentur: dummodo legitimi coniuges fuerint.

Sed ob malignitates temporum iubet E. ad Synod. Mechl. 1606. *ar.* 17. *&* 18. vt qui aliunde habitatum veniunt, parochi seu Magistratus vltimi sui domicilij testimonium conferant, quo nouo parocho seu Magistratui fidem faciant, de fide sua ac probitate.

Potest quis Iure Romano pluribus esse locis ciuis, incola, municeps: loco originis, & domicilij, ad munera & indictiones, præstationes & onera vocari. *D. & C. h. t.* sed moribus ferè personales sunt huiusmodi præstationes, & domicilium personamque sequuntur: neque extra domicilium quis personalibus oneribus subiici potest: realia onera vbicumque sitis rebus incumbunt.

LIBER XI.

De naviculariis, & naucleris, & re mercatoria maritima.

MVneribus accenſetur nauiculariorum officium, vt publicas ſpecies tranſportent, qui hoc vnum munus debent, à reliquis oneribus vnà cum prædiis ſuis liberi, & immunes. *hoc tit. & ſeqq.* & quemadmodum ſupra à muneribus nemini ſe licet excuſare, niſi vacationem à Principe obtinuerit ſeu aliis iuſtis cauſis iuuetur; (qua de re tota latè agitur à *tit.* 40. *vſque ad finem libri* 10. *C.*) ita etiam priuati qui naues habent in ea ſunt conditione, vt neceſſarium fiſco auxilium præſtare teneantur. *l.* 1. *&* 2. *C. de nauibus non excuſand.* vt ne quidem reſcripto à Principe impetrato liberentur. *d. l.* 2. ad quem modum indies videmus ſiſti omnibus in portibus nauiculariorum, id eſt dominorum, tum incolarum, tum aduenarum naues, & in bellicas Principum neceſſitates trahi, vnà cum naucleris, nautiſq;. Qui, tamē, dum publicam in cauſam nauigant, gaudent omni ſecuritate; nullibi arreſtari, aut impediri poſſunt. *l.* 1. *h. t.* tametſi inſpiciendas publicanis merces oſtendere debeant. *l. interdum.* §. *diuus. D. de publican.* vt ſæpiùs iudicatum refert Chriſtin. *h. t. vol.* 5. *d.* 58. *&* 61. *n.* 8. nec tamen teneri eos, qui notoriè ab omni vectigali ſeu telonio ſunt immunes: & ſi quę publicis rebus & immunibus aliæ non priuilegiatæ ſint adiunctæ, & ob fraudem vectigali factam in commiſſum hæ cadant, pœnam ad immunes non porrigi; ſi nauicularij fraus abſit: quæ alioquin integras in commiſſum trahat. Publicas autem ſpecies deferentibus prohibitum eſt priuatas merces adiungere; alioquin ſi eam culpam caſus naufragij ſequatur, diſpendium fiſco præſtabitur. *l. vnic. Ne quid oneri publico.* cui citra aliorum culpam res ſuæ alioquin perirent. *l.* 4. *C. de naufrag. l. pignus. C. de pignorat. act.* ideoque vt fiſco cautum ſit prædia & res nauiculariorum tacitè obligantur. *C. de præd. & reb. nauicular.* & quidem totum nauicula-

riorum

riorum Collegium pro vnius culpa obligatur. *l. vlt. C. de naufrag.* quod moribus nostris negat obtinere Leonin. *cons.* 16. eumque sequitur Christinæus *vol.* 5. *d.* 62. *n.* 3. De naufragorum porrò bonis suprà diximus *C. de iur. fisci.* In his afflictis omnis acerbitas est mitiganda, consuetudines, constitutiones, statuta interpretatione molienda. sicut idem Christinæus *vol.* 5. *d.* 64. *n.* 20. refert supremam Curiam iudicasse de lege Zelandorum, quæ naufragorum bona à quopiam vetat attingi sub pœna capitis, & ex ipso attactu dolum præsumit; non obtinere eam cùm citra malitiam quis probus eiectas merces collegerit.

De maris Præfecto, & Camera maritima, legibus militaribus, nauticis, diximus infrà sub *tit. de re militari nautica.* vbi se ingessit mentio necessaria Edictorum 29. *Ian.* 1549. 29. *Ian.* 1551. *vlt. Octob.* 1563. quæ etiam commercia nautica attingunt. qualiter naues instrui, quot viris, velis, tormentis, qualiter onerari, visitari, si inuicem collisæ sint damna restitui debeant, aliaque id genus. innoxia maximè mercatura est, quæ fructus naturæ colligit, citra dolum & circumuentionem, vt piscatio in mari, atque fluminibus, etiam exemptione decimi nummi donatâ, E. 9. *Septemb.* 1569. *ar.* 54. Illi benè dirigendæ edictum est 26. *Iul.* 1535. politia & regulæ. quibus naucleri, & piscatores capturæ halecum intenti vti inuicem debeant, E. 19. *Maij* 1512. vt vasa capturæ halecum parata ad antiquam capacitatem formentur, & iusto stigmate signentur.

E. 9. *Aug.* 1531. vt retia Britannica aliaque instrumenta capturæ halecum parata, antiquam latitudinem & bonitatem habeant.

E. 19. *Martij* 1539. vt iuxta littora piscari non liceat retibus nimis arctis, quibus piscis nimis adhuc iuuenis includatur.

E. *vlt Septemb.* 1545. 15. *Octob.* 1614. vt retia, quibus piscatores ad littus vtuntur, foramina non habeant quinque pollicum longitudine minora, transgressores apprehendantur, retia confiscentur à prætore loci; qui & ea possit inuestigare, do-

mos

mos perquirere, confiscare, pœnas exigere.

Super piscatu in fluminibus Flandriæ extat E. *vlt. Iul. 1627.* super iis fluuiis, qui ciuitatem & territorium Gandauense lambunt.

E. 14. *April. & 27. Ian. 1542.* porrò illius generalioris ferè hæc summa, vt debitis temporibus, retibus, & instrumentis piscatio fiat, à conductoribus Regiis, vel iis qui ius piscandi in fluminibus habent, sub suo districtu: vt pisces minores iustâ quantitate in aquam reiiciantur: vt officiarij retia visitare & perquirere possint, an sint secundùm leges piscatorias facta: ad fraudem vitandam de nocte piscatio non fiat: ad certum spatium abstineatur ab iis angulis, vbi aliqui pabulum piscibus solent proiicere: aduersus leges piscatorias peccantes sine dissimulatione aut compositione mulctentur: venia aut dispensatio aliter piscandi dari non possit: alioquin ipsi officiarij corrigantur, etiam priuatione officij; & aduigilet Procurator generalis. rei qui non habent in ære luant exilio, carcere, ieiunio, seu arbitrio Iudicis: parentes & heri filiorum & famulorum nomine mulctas soluant: procedatur in causis summariè & de plano: binis citationibus rei peragantur: officiariis cum vno teste omni exceptione maiori iurantibus quòd reos in delicto flagranti inuenerint, credatur: causa coram ordinario peragatur, cuiuscumque qualitatis sint rei: nullus priuatus aut Magistratus officiarios impedire possit; sed subsidio esse debeat: cuilibet officiario in suo districtu harum rerum persecutio sit; saluâ procuratori fisci præuentione, eiúsve commissariis: in concursu autem plurium iurisdictionem exercentium vigilantiori & tempore priori priuatiuè: prioribus Edictis de cætero saluis.

Littorum cura & huc pertinet, quam sancit E. 7. *Septemb. 1531.* vt in littoribus (seu dunis, vt vocant nostri) nulla animalia pascantur, nemo ligna, sentes, tribulos, gramen præscindat: vt quatuor Membra tot, quot opus videbuntur, personas committant, quæ inspiciant, & mulctas exigant.

E.

E. 26. *Octob.* 1547. vt nemo moles in mare jactas ad defensionem littorum, saxa, lapides, ligna moueat, auferat, sub pœna amissionis nauium, curruum, arbitrariæ correctionis, fustigationis, etiam capitis.

E. 2. *May* 1613. vt antiqui limites littorum ponantur, vocatis territoriorum prætoribus; viæque, ac iuxta mare littora reparentur: nemo ibi venetur: intra medium lapidem retia habeat, aut canes, nisi prioribus vncis, aut feles, nisi auribus præcisis: nemo in littoribus pecora pascat, herbam præscindat: ne veniâ quidem (quam dare nequeant) à conductoribus venatoriis impetratâ: nemo in littoribus appareat eques, cum sclopeto, arcu, hasta, ligone: cuniculos venetur, occidat, fodiat; sub pœna 60. lib. par. interdiu, dupli noctu, atque arbitrariæ correctionis: probationique sufficiat assertio vnius littorum custodis, alteriúsve testis, siue de mulcta 20. librarum agatur; quoniam rarior ibi testium est præsentia: si excedat 20. lib. duorum custodum, aliorúmve testimonio opus sit. quibus custodibus ne quis conuitietur, aut pulset, sub arbitraria pœna prohibetur. qui si ipsi excesserint, triplam pœnam luant. omnes officiarij & viatores Regij delinquentes corrigere possint: & iudicatum non obstante appellatione exequi: in rem suam mulctarum tertiam, alteram in fiscum, tertiam in conductorum rem vertere.

Quòd si marini fluctus terminos suos excesserint, & tyrannidem in continentem exerceant, edictum est 23. *May* 1531. vt omni diligentiâ terræ inundatæ è mari vindicentur. id quò minùs retardetur, ex æquitate apparentia dubia deciduntur, si coniuges eam in rem impensam fecerint soluto matrimonio, cuius terræ fuerint, medietatem sumptuum alteri refundat, aut terrarum medietatem cedat, pro sua optione: vsufructuarius pensionem vnius anni remittat, & alteram in hos sumptus contribuat; alioquin iure excidat, aut saltem quartum nummum suo quoquo tempore, eius summæ, quam hypotheca contribuere tenebitur. Redituarius redimibilis duas pen-

ſiones remittat, duas eroget: alioquin iure excidat: aut ſaltem quatuor nummos ſoluat cùm proprietarius ſoluit quinque, ad ratam cuiuſque prouentus, redituarius irredimibilis ad ſimilem ratam æqualem cum proprietario nummum ſoluat. omnia collegia Eccleſiaſtica & loca religioſa pro rata bonorum contribuant: nec non beneficiarij ſingulares: ſed hi eâ lege, vt heredes eorum hæc bona tantiſper poſſideant, donec fructus impensã ęquauerint: ſi beneficiarij id renuerint, poſſint patroni, & fundatores eâdem lege id facere. In horum defectum cedant terræ fiſco, aut iis, quibus Princeps indulſerit inundatas terras aggeribus cingere, vt omnes terræ, quę inundari poſſunt, quibus noui aggeres profuturi ſunt, contribuere teneantur, pro arbitrio gubernatoris, aut commiſſarij generalis aggerum: vt proprietarij terrarum Eccleſiaſticis ſeruitiis grauatarum tantiſper immunes ſint, donec ſumptus ex fructibus refecti erunt.

Mautici fœnoris, & aſſecurationum praxin noſtram & morem hodiernum aſſecurandi tradit optimè Grotius *Iſagoge iur. Holland. l. 3. p. 24.* Igitur hîc tantùm dicamus conſtitutiones pręſcribere, qui aſſecurare quo pretio præmióve, quas merces pro more modóve poſſint, quid ſub illud nomen veniat, E. 29. *Ian.* 1649. *ar.* 20. 21. 22. 23. E. 19. *Iul.* 1551. *ar.* 19. 20. 21. 22. E. *vlt. Octob.* 1563. legibus 20. & 25. *Ian.* 1570. legibus 36. ac formula, ſecundùm quam ſolam aſſecurationes fieri poſſint: mandatiſque in hanc negotiationem commiſſario datis conſtans. Legum potiſſima capita Grot. *d. p.* 24. complectitur: quamuis earum non meminerit more ſuo. nos ad edicta remittimus Lectorem: cui res ea vſuueniet: quia præter ſpecialia Edicta, etiam notitiam diſciplinæ maritimæ ab Edictis præſcriptæ exigit; quæ maioris eſt operæ. eademque quæ citauimus, Edicta & Grot. *vbi ſuprà. p.* 29. tractat quæ ex lege Rhodia de iactu hodie vſurpantur. & latiùs Quintinus Weytſen *tractatu ſpeciali van Auarien, Leydæ impreſſo* 1617. *cum deciſ. Cur. Holland.*

De veteris numismatis potestate; seu de moneta.

VEterum Principum numismata à mercantibus recipi omninò iubet *Lex 1. h. t.* dummodò debiti ponderis sint, & speciei probæ. & seuerè legibus coërcetur improbitas in pecuniam admissa, & capite quidem, *d. l. 1. & vlt. C. h. t.* vt nō sint hodiernæ in pecunias admissæ fraudes, & pœnæ. Quemadmodum in re monetaria ab omni æuo hîc laboratum est, vt in ea iustitia & æquitas obtineret, sed in primis Maximil. Imper. E. 14. *Dec.* 1489. abundè prouidit: & Car. V. pluribus quamquam edictis: etiam de consilio Ordinum generalium aliquando decreuit; vt quoad monetam seruaretur Ordinatio 10. *Dec.* 1526. tamen neque illud Iudicium publicum iniquitati temporum suffecit. sed vt moneta à malignitate hominum admodum vexari non desiit; ita neque ab edictis continuò exerceri.

Emanarunt ergo E. 14. *Decemb.* 1489. 16. *Feb.* 1509. 10. *Decemb.* 1526. 7. *Octob.* 1531. 11. *August.* 1536. 12. *Iuny* 1539. 10. *May* 1540. 29. *Octob.* 1540. 7. *Nouemb.* 1541. 16. *Febr.* 1541. 6. *Nouemb.* 1542. 22. *Febr.* 1542. 7. *April.* 1543. 6. *Iul.* 1548. 4. *Septemb.* 1548. 16. *Septemb.* 1549. 23. *Mart.* 1552. 5. *Octob.* 1553. 15. *Decemb.* 1593. 10. *Iul.* 1601. 19. *Feb.* 1607. 14. *April.* 1612. 21. *May.* 1618. 12. *Septemb.* 1619. *vlt. Octob.* 1622. 17. *Feb.* 1627. 17. *April.* 1627. 23. *Iun.* 1628. 18. *Mart.* 1633.

Longa hæc esset disciplina. Itaque lubet tantùm potissima capita quædam attingere.

Declaratum itaque est sæpiùs, vt nummi nulli sint vsuales, nisi edicto disertè permissi.

Moneta omnis Ordinum Batauorum reprobo declarata: vetita vt pecunia dari, iussa deferri ad monetarios Principis, liquefacienda, soluto intrinseco valore. sub pœna confiscationis, & quadrupli, soluenda ab iis, qui erogare voluerint, aut penes se detinuerint. sub eademque pœna vetitum deferri

ad eas prouincias aurum, argentum reprobatæ monetæ, aut excedere valorem per edicta taxatum, exindeque permissum reprobam aliunde monetam inferre, non erogare; decretumque vt nummi abrogati aliunde illati, ad monetam Regiam deferantur: quàm primùm vrbem Regiam vllam attigerint, declarentur in quam fabricam monetariam ferendi, aut deportandi destinentur; & à loci officiario declarationis testimonium assumatur.

Pecuniam supra valorem oblatam, non liceat recipere creditori; quamuis protestanti, eam se recipere, ad ratam præscriptæ æstimationis, reliquum donare.

Sed neque post emptas merces ad certum pretium nummos certos offerre; nullo pretio expresso.

Species nummorum edicto approbatorum nemo emat, vendat, sub pœna confiscationis earumdem, & quadrupli, suspensionis ab officio, aut artificio ad sex menses; pro secunda vice insuper banni è Belgio ad triennium: reprobatos nemo aliò quàm ad fabricam seu monetam Regiam transferat: in massam redigat cudendæ monetæ idoneam: sub grauibus item pœnis, tum reis, tum qui operam præstiterint imminentibus: nemo permutare aut cambire possit prohibitas species, sine publica auctoritate. nullus aurifaber in maiori quantitate confringere, liquefacere auri species probatas; nisi præmonito Decano; & iis annotatis, quæ Monetariis per singulos sex menses indicetur.

Decretum insuper vt puniantur omnes qui nummarias species ex professo permutant, supra valorem præscriptum: auream v.g. monetam, cum minuta argentea.

Vt mercatores emptas merces non restituant, aut emere recusent nisi artifices, venditorésve pecuniam aduersus edicti præscriptum velint accipere.

Qui massam pecuniariam damnatam aliunde illatam dies quindecim penes se seruauerit arbitrariè pro prima vice, pro secunda relegatione quinquennali puniatur. Intermedij qui

sine

ſine difficultate faſſi fuerint, erunt immunes, donec veniatur ad eum qui aduexit.

Rei pecunias illicitè erogatas amittant; inſuper quadruplum in mulctam ſoluant: pro ſecunda vice arbitrariè atque exemplariter corrigantur; & mercatoribus officina interdicatur ad tres menſes; & qui ſine taberna negotiantur anni vnius exilio è ſua vrbe puniantur: pro tertia vice in quinquennium toto Belgio excedere iubeantur.

Qui publicâ auctoritate pecunias tractant, monetarij criminis rei, non tantùm priuatorum pœnas luant, ſed officiis quoque ſuis deſtituantur.

Nulla etiam ſint chirographa, reditus, aliæque obligationes pecuniâ damnatâ contractæ. neque ex iis actio detur, ſi modò intra biennium exceptio proponatur, & probetur debitè. ſi ipſe debitor denuntiauerit, abſoluatur toto debito, & mulctâ.

Quod idem in cambiis obtineat, quæ de vno loco ad alium fiunt, intra has ditiones: quæ ad vſum aut duplicem vſum vocant, quæ ſint inhibita in poſterum.

Pecuniam probatam nemo rodat, quacumque arte minuat, monetam falſam fabricet, aut inſtrumenta ſciens conficiat ſub pœna corporis & bonorum: & arbitrariè etiam corporaliter, qui huiuſmodi monetam ſcientes permutauerint, puniantur.

In ſingulis vrbibus ſint campſores qui reprobos cum probis nummis permutent; immunes à muneribus acciſiarum & vigiliarum.

Abrogati ſint nummi omnes quibus iuſtum pondus deeſt. aureis vſque ad 6. momenta dumtaxat ſupplendis ſingulis ſeſqui ſtufero.

Argenteas etiam monetas non habentes deſcriptum pondus, nemo teneatur recipere: nec attritos aſſes, & ſemiſſes veteres: neque probos niſi ad ratum quatuor ex centum.

Cuprea pecunia in moneta Regia cuſa dumtaxat ſit permiſ-

sa: & in suo quæque tantùm districtu. si quis aliam in quantitate aduexerit, decuplum luat, & relegetur in quinquennium; ita vt antè reuersus fustigetur.

Non erogetur in fasciculos composita.

Omnes personæ publicæ, eminentiores mercatores, institoresque, questores, receptores confraternitatum, & opificiorum decani iusurandum præstent, pecuniam supra valorem edicto præscriptum se non erogaturos; ad idque cogantur personæ publicæ suspensione ab officio, priuati negotiorum interdictione, tabernarum officinarumque occlusione: qui contrauenerint, etiam periurij pœnis puniantur, & inhabilitatis ad omnia munera.

Omnes questores pecuniam ipsi, seu ipsorum iurati commissarij numerent, non alios debitores iureiurando solutos delegent.

Non seruetur ordo iudiciarius, sed rei per sese respondeant obiectis, semotis aduocatis & procuratoribus; confessi damnentur: aduersus inficiantes, statim testes audiantur, & vlteriùs procedatur, vt in causis criminalibus.

Denuntiare etiam quis alium possit non tantùm apud ordinarium Iudicem, sed etiam superiorem: & si non expeditè aditus iustitiam administret, ad superiorem transire.

Omnes Regij officiarij possint conuenire contrauentores, & ius dicatur expeditè, perinde ac si locorum officiarij agerent.

Magistratus satellites sæpè ad forum mittant, vt videant an erogetur pecunia iuxta edictum; sin minùs, correctio fiat. arrestari pecunia etiam possit, & erogantes, si non sint incolæ, nec mox pignus porrigant par pœnæ.

Magistri monetarij etiam in singulis vrbibus possint aliquem statuere, qui per præuentionem reos appellet; qui etiam tertiam habeat, sicut officiarius haberet.

Si quis pecuniam receperit, potest sub iuramento cogi, vt declaret qualis ea fuerit: & si ea in re promptus fuerit, pœnam

nam euadet: si tergiuersetur, & deprehendatur malè versatus; damnabitur.

Detineri & aperiri possint omnes sarcinæ, litteræ nuntiorum, si præsumantur pecuniam deferre, præsente tamen eo, ad quem litteræ deferuntur, & aliquo ex Magistratu.

Socius criminis si intra 24. horas excessum detulerit, à sua culpa ipse absoluatur, & tertiam mulctæ obtineat.

Inter testes etiam recipiantur socij criminis.

Testes plures de singularibus factis deponentes ad fidem faciendam coniungantur.

Neque licitum sit officiariis super monetaria contrauentione componere; quamuis periculo suo omnes mulctas conduxerint, sub pœna inhabilitatis.

Si quando alicui à Rege fiat remissio, non porrigatur ea extra partem fisci, ad officiarij aut delatoris quotam.

Concilia etiam ac Magistratus pœnas præscriptas sine moderatione irrogent: nec quem tueatur exceptio, quòd aliquibus locis publicè edicto contrauenatur.

Vbi confiscatio locum non habet, irrogentur mulctæ tantæ, vt confiscationi alioquin irrogandæ æquiualeant.

Fiat executio condemnationis, non obstante appellatione. Si rei in ære non habeant, luant in cute.

Mulctarum vna pars fisco, secunda officiario, tertia delatori cedat: qui si ignotus esse velit, ei recipiat officiarius numerandam.

Imprimatur Gallicè & Teutonicè edictum, cum numismatum figuris. mox promulgetur, & exinde deinceps de trimestri in trimestre, sine alia iussione: fiatque executio sine vlla conniuentia.

Omnes officiarij mox infra mensem ac deinceps de trimestri in trimestre Senatui Prouinciali significent, an in suo districtu edictum seruetur; & quam in id operam præstiterint.

Qua in re si negligentes fuerint, & excessus monetæ excreuerit;

uerit; mittentur negligentium officiariorum Magistratuúmve sumptibus commissarij Regij, vt prouideant.

Fiscales etiam de trimestri in trimestre ad Audientiarium scribant, quid super ea re intellexerint, diligentiamque ad reorum punitionem præstent, sub pœna priuationis.

Pœnæ graues omnibus articulis adduntur, & tam E. 1618. 1619. quàm 1612. 1628. 1633. plures modi ad deprehendendos reos, atque ad coërcendam hominum in re adeò inter homines necessariâ iniquitatem. quæ omnia nimis longum esset persequi, atque adeò minùs necessarium: cùm E. 18. *Mart.* 1633. pleraque omnia priora edicta repetendo, articulis 116. continuo stylo, sufficientissimè perstrinxerit; aliaque quamplurima addiderit.

Quàm porrò obligatoria sint edicta de monetæ valore imposito non intendendo in rempublicam lata, & ad furta publica compescenda conscientias etiam obstringant, facultas Theologica Louaniensis & Duacensis publica censura est testata; eiusque meminimus in *Indice l. 4. c. 35. ad fin.*

Ad veteris numismatis potestatem pertinet Ordinatio 27. *Septemb.* 1627. vt cùm in Brabantia iura inuestiturarum feudalium solui olim soleant in antiquis Petris Louaniensibus, deinde scutis Francicis, denique equitibus Burgundicis, seu valore olim taxato, nunc solui sint iussi in posterum in specie, seu, quia ea vix reperitur, in valore per vltima edicta taxato: & decretum vt vasalli à subuasallis ad eam ratam possint exigere, dummodò ipsi sic Regi pridem soluerint, aut etiamnum suppleant. consonat *c. olim. x. de censib.* Spectat & huc *ar.* 18. *lati Introitus Brabantiæ.* vt nummus non nisi consultò cudatur, neque vmquam minuatur. & *ar. 11. Addition. 2. ad lat. Introit.* vt quoad omnium solutionem defungatur quis eo valore, quo hactenus consueuit: sine præiudicio sortis seu constitutionis reditus: durante precaria illic concessa: atque in posterum Regis & vasallorum canones & reditus in aureis & argenteis nummis debiti non augeantur supra solitum nummorum pretium: in vim

præscri-

præscriptionis *d. c. olim.* sed multa ad hanc iure requiruntur aduersus iustos titulos ;ideò sępiùs aduersus eam est iudicatum: & verò etsi certis annis aliquid pręstitum,remissúmve sit sponte ac gratuitò, sequelam id non trahit obligationis in futurum eodem pretio defungendi. Kindtschot *resp.52.*

Meritò autem *l. 1. C. h. t.* iussit vt numismata veterum Principum pro suo valore recipiantur: indignum siquidem videbatur si antecessorum venerationi id detraheretur: sed, Imperio nunc in tam multas dynastias distracto, non eadem in omnibus est ratio; sed hîc edicta hodie abrogant omnes nummos, qui desertè non probantur. Sèd an id de exteris tantùm accipiatur, an generalitas etiam ad Principum nostrorum antecessorum numismata extendatur? dissuadet *d. l. 1.* suadent nupera edicta edita super abrogatione etiam Hispanicorum & Mexicorum regalium octuplicium his annis 1634. 1635. publicata.

Iure quidem quicumque nummos raserit, finxerit, tinxerit liber ad bestias datur, seruus extremo supplicio afficitur. *l. quicumque. D. ad l. Corn. de fals.* qui cuderit, flammis datur: *l. 2. C. de fals. mon.* & domus, vbi fabrica fuit, nisi absens dominus fuerit, vt negligentia eius argui non possit, confiscatur. *l. 1. eod.* quod & firmatum arresto Curiæ Mechlin. apud Christin. *vol. 4. d. 199. n. 22.* sed rei bullienti oleo immerguntur per mores eodem arresto firmatos.

De venatione ferarum.

DE prohibita; vel permissa venatione, & aucupiis secundùm morem modúmque multis legibus præscriptum, districtúmque, non est quòd latiùs disseramus: quibus in eam syluam ire lubet, præstò se offerent E. 21. *Apr.* 1510. 5. *Octob.* 1514. 14. *August.* 1517. 3. *April.* 1519. 7. *Aug.* 1528. 20. *Ian.* 1528. 22. *Nouemb.* 1529. 22. *April.* 1540. *vlt. Mart.* 1541. 14. *Nouemb.* 1545. 29. *Octob.* 1546. 22. *August.* 1551. latè

omnia agunt de inhibitione venationis ferarum, & volucrum, canibus baculo ad collum muniendis, retibus, sclopetis, arcubus inhibitis, bestiis læsis ne quidem è syluis auferendis, ad forum latis non emendis, pœnis, mulctis, Iudicibus. Sed & de aucupiis rursus E. 3. *April.* 1570. denuò publicatum 24. *Octob.* 1609. aliud 29. *Nouemb.* 1611. *vlt. August.* 1613. 5. *Iun.* 1619. 1. *Iul.* 1619.

Jn Brabantia valdè speciali priuilegio, læto Introitu *ar.* 33. 34. stabilito, omnibus venari permissum est. nobiliter tamen: id est feras canibus, volucres falconibus, atq; accipitribus persequendo. Ideoque seruanda Edicta generalia, quæ hanc venandi libertatem non impediunt. v. g. quæ tangunt idonea venationum tempora, ne fœta animalia capiantur, ne seges sternatur, ne facultas venandi elocetur; aliaque id genus priuilegio non derogantia; sed iustas venationi leges præscribentia. quam ius naturale & ciuile indeterminatam permiserat etiam in fundo alieno non prohibente domino. vt & Fredericus Imperator *in vsibus feudorum. de pace tenenda. §. nemo.* retia tendi vetuit, nisi ad vrsos, apros, vel lupos capiendos: quod maximè restringunt ne armata sit venatio ob §. ibi præcedentem, qui rusticis vsum armorum vetat. sed nec apros hîc ita capere licet. volunt etiam dominis mediam & infimam iurisdictionem habentibus licere venari intra terminos suæ iurisdictionis, vasallis in fundo suo. atque ita iudicatum refert Christin. in Curia Brabantiæ *vol. 5. d. 84. n. 32.*

Clericis etiam omnibus venatio est interdicta. *c. 1. 2. x. de cler. venat. c. Episcopum. c. omnibus. d. 34.* siquidem venatorem numquam legimus sanctum. *c. quorumdam. ibid.* vbi Nicolaus Papa testatur de clericali catalogo plurimos genere dumtaxat Germanos & Gallos vitium venationis irreuerenter implicare. quod malum etiamnum non paucos in istis nationibus detinet. Clerus Belgicus est reformationi astrictior.

De

De fundis patrimonialibus, saltuensibus, emphyteuticis, & de syluis.

IVs emphyteuticum plerumque confunduntcum iure censuali, cùm domini sub censu annuo rem perpetuò possidendam concedunt. emphyteuses ferè olim erant temporales vel ad certas generationes aut stirpes. hodie dominicales emphyteuses seu in censum concessiones perpetuæ, neque excidunt possessores, non soluto per biennium canone, neque domini consensum in alienatione requirere debent, neque nummum quinquagesimum soluere, nec is ius ferè retractus habet, nisi specialis consuetudo aut conuentio in contrarium sit.

De saltibus autem & syluis dominicis suprà tetigimus *tit. de Iure emphyteut.* quoniam verò Regis atque Reipublicæ interest, vt & priuatarum syluarum non sit prodiga, atque ad publicam caritatem ducens administratio, & commercium sine fraude; constitutum est E. 17. *Septemb.* 1515. vt ligna cædua non vendantur, nisi eo anno quo cædenda sunt: vt eorum venditio exinde fiat in foro: vt vetus mensura lignorum venalium seruetur: nec in longo, lato, aut profundo minuatur: officiarij ligna cæsa rure, & in vrbe visitent: mensuræ à singulis pagorum officiariis ad suas vrbes, sub quibus censentur, transcribantur: atque ab his vlteriùs ad Metropoles, vrbesque suas capitales: ordinatio publicetur non in vrbibus tantùm, sed in singulis pagis, parochiis, vicis. idem Edictum in Flandria repetitum & exactiùs seruari iussum 21. *Nouemb.* 1614.

Sed & latæ E. 12. *Mart.* 1519. 16. *April.* 1535. Ordinationes particulares, ad conseruandum peculiariter syluam dominicam de Niepe. alibi non inutiles.

Insuper E. *vlt. Octob.* 1571. vt ne liceat syluis, & arboribus damnum dare: surculos stiptitésve præscindere, qui scopis inserantur; sed ramusculos dumtaxat innoxios.

Denique E. 19. *Nouemb. 1605.* pluribus articulis explicatiùs iuuat edictum 11. *Ian.* 1548. ne quis ſyluis, nemoribus, paſcuis, pratis, limitibus, fructibus, arboribus, ſurculis, quomodocumque damnum det.

Cui acceſſit E. 3. *Nouemb.* 1629. adhuc vberiùs interpretando Senatus Flandriæ prouidit.

Denique E. 7. *Septemb.* 1536. 11. *Ian.* 1548. conſtitutum, vt menſura lignorum publicè proponatur, ad locum publicum appenſa: quam obſeruare teneantur, quicumque ligna venalia habent: ſed quæ in vſum ſuum quis cædit, pro arbitratu quantitatem ſeruat. ligna cædua cenſentur quernea anno 9. mollia anno 7. vt antè vendi non poſſint. nemo mercaturam lignorum exerceat, niſi matriculæ à Magiſtratu inſcriptus ſit. Inſcriptio à Magiſtratu non fiat, niſi iurauerit ſe Magiſtratui indicaturum, vbi ligna comparauerit, aut ceſpites, pretium, numerum, locum, & venditorem: Magiſtratus æquum pretium taxabit: qui non comparuerit, arbitrariè corrigetur. nemo intra duo milliaria ambitus circularis cuiuſque vrbis, niſi in vſus ſuos emat, exceptis iis, quæ in aggeres tuendos impendentur. qui ceſpites vendunt, æquo pretio diſtrahant. monopolia non ineant, aut inuicem pretium ſtatuant, promittentes minori non diſtrahere.

De mendicantibus validis.

MAgna fuit veteris Reipublicæ Romanæ in ciues indigentes liberalitas, vt ex hiſtoriis veterum Scriptorum liquet non tantùm, ſed etiam ex legibus noſtris. vnde tituli *C. l. 11. de canone frumentario vrbis Romæ, de frumento vrbus Conſtantinopolytanæ, de frumento Alexandrino & de annonis ciuilib s.* quæ indigentibus diſtribuebantur, ſed tamen inualidis, non quos integritas corporis & robur annorum facit indignos; nam hi inquirendi & ad labores vrgendi ſunt. *l. vnic.* vbi Gloſſa & DD. *C. h. t.* & maiorum hîc noſtrorum benigna in

in pauperes pietas, in singulis parochiis mensas, vt vocant S. Spiritus, multa passim Xenodochia, aliasque pias pauperũ causas largiter dotauit, de quibus suprà egimus *tit. de Episc. & cler.* Enimuerò promissum Christi est, *Pauperes semper habebitis vobiscum.* vt eius membris charitatem exhibentes, mercedem expectemus, perinde ac si ipsi prȩstita esset. Sed vt semper cum frumento nascitur & palea: ita veris pauperibus, validi se, otiosi, ignauique homines immiscent. eos & olim leges Romanæ, vt latiùs diximus *in Iud. l. 3 c.* 10. & pridem frequentia Principum nostrorum Edicta prosequuntur. E. *22. Septemb.* 1506. *12. Decemb.* 1515. 28. *Nouemb.* 1527. *vlt. Feb.* 1530. 24. *April.* 1532. 29. *Nouemb.* 1530. 11. *April.* 1541. 15. *Feb.* 1537. 18. *Septemb.* 1542. 3. *Febr.* 1542. 25. *Octob.* 1544. 15. *Iunij* 1556. *vlt. Febr.* 1558. 7. *Octob.* 1531. *ar.* 8. 2. *Septemb.* 1560. *vlt. Octob.* 1583. 29. *Ian.* 1572. 24. *Mart.* 1605. 16. *Ian.* 1576. 8. *Iul.* 1599. 1. *Octob.* 1607. 27. *Iun.* 1611. 27. *Septemb.* 1617. 3. *Iul.* 1611. validi ergo mendicantes prohibentur, quamuis sub specie cupreorum operum seu aliorum artificum. extranei & qui annale domicilium non habuerunt intra octo dies excedant, sub pœna fustigationis & stigmatis dorso imprimendi, aut arbitrariæ; si armati sint graues, si vi vsi etiam fuerint, si incendium minati igne puniantur: ex limitibus profligati pauperes, cum testimonio officiarij, sub validis mendicantibus non sint comprehensi: alij non validi, leprosi in loco natiuitatis, aut annalis domicilij, & vicino mendicare possint, sed abstineant ab encœniis, nuptiis, & solemnibus conuiuiis, & alioquin contenti sint eleemosynis quæ erogantur, sine contumacia, & obseruent statuta eorum locorum, si quæ eis data sint: si quis huiusmodi prætensos milites, vagabundos, ac validos mendicantes hospitetur, seu quoquo modo iuuet, complex censeatur: neque excusetur, si se inuitum dicat, nisi eos officiario indicauerit: qui assumptis auxiliis prosequi, omnesque ab eo rogati ferre auxilium teneantur. Oberrent officiarij sæpè in nundinis, encœniis, nuptiis, hospitalibus: huiusmodi errones perse-

 quantur,

quantur, apprehendant, puniant; ſub pœna priuationis officij, inhabilitatis, & damni exinde illati: priuati etiam apprehendere poſſint, & officiarij in alieno diſtrictu, ſed apprehenſos loci officiario conſignent, vtique puniendos. Officiarij ſaluum conductum dare, aut conniuere nequaquam poſſint. Reſiſtentes ad campanæ ſonum apprehendantur: & ſi mutilari, aut occidi contingat, innoxium eſto. Otioſi, etſi non mendicantes incolæ vel externi, inquirantur, vnde viuant: niſi aptè reſpondeant, carceri includantur, & diligenter de iis inquiratur: otium inexcuſatum ſufficiens ſit ad torturam indicium, vt ſi crimen aliquod confiteantur condignè plectantur, & recidiui ſemper ſeueriùs: ſin minùs, exteri relegentur extra ditiones, incolæ extra confines domicilij exire vetentur: vtrique ſub pœna capitis: Iudices has pœnas omnibus infligant, ſub pœna priuationis & inhabilitatis. Denique vt qui ſe dicunt Ægyptios aut habitum illorum geſtant, intra paucos dies prouinciis excedant, ſub pœna capitis & bonorum. De erronibus militibus, deſertoribus, vagabundis egimus *tit. de re militari.*

5. *De leproſis.*

LEproſi iure merito ab hominum cœtu ſecernuntur, per ſacras etiam litteras. & quidem Edictum 19. *Octob.* 1547. iubet vt nemo vtatur habitu leproſorum, niſi ex viſitatione liqueat eſſe talem, eiuſque rei fidem faciat requiſitus: vt leproſi intra ſuam quiſque parochiam ſe contineant: & eò redeant, vnde originem habent, aut citra fraudem domicilium annale ante declarationē morbi: vt ne alibi mendicent, tabernas & ædes non ingrediantur, eleëmoſynas ante fores petant, ſub pœna fuſtigationis, exilij & arbitrariæ correctionis: vt Magiſtratus curent ex bonis pro leproſis relictis ali eos: & ſi non ſuffecerint, committant, qui pro eis eleëmoſynam petant.

E. 21. *Auguſt.* 1537. Decano leproſorum permittitur inquirere

rere in eos, qui morbum ſimulant, cogere vt exhibeant ſe viſitandos in leproſariis ciuitatum: aſſumere coniudices, ex compendiis mulctarum ſtipendium recepturos: ad iuſtitiam inter leproſos miniſtrandam, ordinariis Judicibus mandatur, vt eidem Decano auxilium præbeant, ad executionem ſuæ poteſtatis. In Brabantia pluribus locis erecta ſunt Xenodochia, vbi à medicis & chirurghis quotannis ſolemniter viſitentur infecti; & reiiciuntur ſani, ſub hoc pallio validam mendicitatem affectantes. plura diximus *in Iur. Pont. nou. anal tit. de coniug. lepros.*

LIBER XII.

De dignitatibus & nobilitate.

AD materiam dignitatum ſpectat totus liber *C.* 12. quo conſequenter recenſentur vetera nomina dignitatum, officiorumque, tum publicorum, tum aulicorum: quorum nomina pridem obſoleta, functiones tamen manent; ſed diuerſimodè pro moribus regionum diſtributæ, aliis nominibus atque aliis nuncupatæ. multa tamen iure in illis conſtituta etiamnum obtinent, multa vſus variauit: quædam quaſi per ſaltum hinc inde viſum attingere. In dignitatibus firma regula eſt, vt gradus obſeruentur: minor maiori cedat: in gradu paribus ordo temporis prærogatiuam præſtet. *l.* 1. *de conſul. lib.* 12. *tot. tit. vt dignitatum ordo ſeruetur. C. lib.* 10.

Rebus nunc mutatis antiqua poteſtatis exercitia minuta etiam ſunt. vt prætorum magna fuit olim poteſtas, deinde inane nomen & Senatorij cenſus grauis ſarcina. Boet. 3. *de conſolat:* tenebantur ſiquidem ſuis ſumptibus Circenſes & ſcenicos ludos exhibere; neque reſpondebant dignitati vtilitates. vnde clariſſimi & ſpectabiles cogi deinceps ad præturam ſunt vetiti. *l.* 1. *C. de prætor. lib.* 12. remiſſa glebæ, follis, ſeptem ſolidorum functio, ſimiliſve collatio. *l.* 2. *eod.*

Simi-

Similiter Republica Romana in Imperatores translata Consulibus non ampliùs licuit missilem pecuniam in vulgus spargere; sed reseruatum id est Maiestati Principis. *l. ordinem. de consul. lib.* 12. *Auth. de consul. §. spargere. col* 4. quod etiam hodie seruatur; nec extra reatum censeretur, si quis secus faceret.

De Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum titulis & dignitatibus, quæ antiquis officiis successerunt, eorumque potestate, passim Interpretes multa scripserunt, præsertim feudistæ. Loyseau *des seigneuries*, *des offices.* Chenu *des reglemens.* Borellus *de Magistratuum edictis*, aliique. sed præsertim est animaduertendum, quòd ea quondam officia passim transiuerunt in hereditarias dignitates, ac iurisdictiones; ideoque eorum Edicta & ordinationes, quæ olim pro iure prætorio habebantur, *§. Ius autem prætorium. Instit. de iur. natural.* annoque dumtaxat durabant; ciuiles autem erant perpetuæ, *l. in honorariis. in princ. D. de act. & obligat.* hodie iure proprio competunt, actionesque ideò sunt perpetuæ. Bartol. *in l.* 1. *§. de qua re. D. de postulando.*

Patriciatus etiam magna fuit dignitas, cæteris omnibus antepos ita. *l. nemini. C. de consul. lib.* 12. parentes Principis & velut patres patriæ censebantur. vt hodie Pares Franciæ, Equites aurei Velleris, S. Michaëlis, &c. fratres Principum nominantur: sed illa dignitas & ipsum nomen patriciatus est obsoletum: nisi quòd dicatur Pontificiâ auctoritate nuper Romæ esse quasi renatum.

Præfecti prætorio, & Magistri militum in dignitate sunt exæquati. *l. 1. C. de præfectis prætorij. lib.* 12. sed hodie non est officium, quod præcisè respondeat alterutri dignitati. Locum Principis tenentes, generales, gubernatores, proreges, Duces exercitus ferè sunt, sed potestate magis mandatis præscripta, quàm legibus attributa. quam etsi liberam esse velint Interpretes, Christinæus tamen refert *d. 110. vol. 5. n. 26. 8. April.* 1571. Philippum II. Duci Albano tunc hîc Gubernatori generali,

nerali, potestatem illius legibus & constitutionibus prouinciarum esse subiectam, adeò vt à voto Conciliorum Regiorum, in materia præsertim iustitiam concernente, recedere non posset.

Ad præfectum prætorio etiam spectabat cura classium generalis. *l. vnic. C. de classic.* vt ad singulos prouinciarum rectores singularum specialis; quà mari commissam ditionem tuerentur, piratas expellerent, sicut malis hominibus prouinciam generatim purgare iubentur. hodie classium marisque curam edicta & mores transtulerunt ad eos, quos Admiralios vbique vocant, qui plerumque summæ sunt dignitatis; alios minoris habent substitutos, seu viceadmiralios, qui vice illorum funguntur, & minoribus ferè classibus mare oberrant; in casus maiores summosque conflictus veniunt ipsi Thalassiarchi, vt sæpiùs iam olim atque æuo nostro accidit.

Honorarium siue salarium illis qui in officiis aulicis sunt morientibus totius anni deberi tradit *l 4. C. de domest. lib.* 12. quod non in omnibus seruatum etiam ex Plinio patet, *epist. 4. & l. Seio. D. de an. legat. l. diem functo. D. de offic. assess.* & negat Christin. *vol. 5. d. 118. n. 14.* in his ditionibus pro tempore non præstiti officij salarium solui: atque ita in supremis Curiis sæpè iudicatum ait. excipit tamen casum quò magis honoris causa quàm officij salarium addictum est, aut publica ex causa quis abfuit, aut iniustè accusatus impeditusque. & rursus *d.* 110. *n. 10.* in casu *legis, si quis in sacris 11. C. de prox. sac. scrin. lib. 12.*

In ea lege officiariis sportulæ debentur quæ successerunt in vicem salarij. *§. tripli. institut. de action.* vnde Iudicibus ordinariis & officiariis salarium à Principe aut Republica habentibus negant sportulas deberi. *c. cùm ab omni. de vit. & honestat. cler. c. statutum. de rescript. in 6.* sed consuetudo præualet, qualis est in his prouinciis, vt sportulæ soluantur à priuatis annuente Principe ob annonæ caritatem, æris veteris imminutionem, & angustias ærarij: nam ad Principem spectat salaria suis Ma-

giſtratibus ſoluere. *l. 1. §. hoc etiam. C. de offic. præfect. Afric.* ſed vſus noſter id ſeruat tantùm in maioribus dignitatibus, conſiliariis, aliiſque id genus. vrbium, municipiorumque & minorum gentium Magiſtratus ſtipendia habent ab vrbibus, municipiis, pagis.

Primiceriorum etiam magna dignitas fuit, tribunos vocat notariorum. *l. 2. C. de primicer.* præclaram nobilemque illorum militiam fuiſſe eos volunt qui hodie Cancellarij vocantur. quibus Reſcriptorum Principalium examen incumbat, & ab iis reſcriptis quæ contra ius vel vtilitatem publicam impetrata eſſent reprobandis, ſeu cancellandis nomen inueniſſe.

Præpoſiti etiam laborum, vt habet communis lectio, etiam clariſſimi ſunt, & ex conſularibus. volunt interpretes eos fuiſſe qui præerant cuſtodibus corporis Principis, triariis periculorum laborumque participibus: alij legendum volunt Labarorum, ſeu vexillorum militarium, quale Conſtantinus primum auro gemmiſque ornatum fieri, & in bello præferri iuſſit. Franci vexillum aureæ flammæ, imitando olim ſubſtituerunt; ſed præpoſitus fortè fuerit quem hodie Capitaneum guardiæ Regiæ vocant.

Nec inter minimas dignitates fuit Comes & Magiſter officiorum, vt inſcriptio vocat & prima verba *l. 1. de priuil. ſchol.* quæ vndecim numero fuerunt. *l. vlt. C. locati.* erant eæ ſcholæ in quibus ad militiam & artes Reipublicæ vtiles cum ſtipendiis annuis erudiebatur. *l. vlt. C. de tyron. lib.* 12. quod hodiernis temporibus magno Reipublicæ damno non vbique vſurpatur; ſed tyronibus, qui vel ciuilem vel militarem diſciplinam vixdum à limine ſalutarunt, magna nonnumquam cingula dantur. apud Turcas adhuc in vſu eſſe dicitur, & vel apud Barbaros olim fuit, vt Iudæis in Perſidem tranſlatis tres pueri de ſaguine Regio prępoſito Eunuchorum traditi ſunt, Daniel. I. vt omni diſciplina excolerentur, & poſtea ſtarent in conſpectu Regis.

Omnes autem Palatini quæ donatione Principis, labore, parci-

parcimonia quæsierint iure peculij castrensis possident, quia nec alieni sunt à puluere & labore castrorum qui signa Principis comitantur, quos intentos & eruditos studiis itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exercet. *l. vnic. de castrens. omn. palatin. pecul.*

Ad finem sequitur equestris dignitas, *l. vnic. C. de equest. dignitat.* Quę olim magna fuit, secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinuit. *l. 2. C. de equest. dignitat.* clarissimatus erat consularis dignitas. *l. 2. C. de domest.* militem fere dixerunt antiqui post tempora Longobardorum. quando hoc nomen tantæ fuit dignitatis ad indicium virtutis, vt Principes ac Reges ipsi milites crearentur. vt in Guilielmo Comite Hollandiæ tradunt historiæ quòd electus in Regem Romanorum ante inaugurationem à Rege Bohemiæ miles creatus fuerit. Hodierni equites diuersorum generum & graduum sunt. milites non eo delectu, quo olim, creantur. nobiles diuersorum ordinum. horum insignia diuersa, atque notæ. de omnibus intra idoneos terminos continendis latè hîc edicta *23. Sep. 1595. 14. Dec. 1616.* in primis vt qui antiquitus ex nobili sãguine sint orti, aut cuius pater, auus, ipsique palàm nobiliter vixerunt, & pro nobilibus habiti, aut qui ipsi, eorumque paterni in recta masculinia linea maiores, nobilitate à Principibus nostris per litteras donati sunt, seu qui munerum, dignitatum, & honorum, quos ipsi, pater auusque gesserint, eo iure fruuntur, soli possint, neque alij adsumere qualitatem scutiferi, domiceili, nobilis, titulúmve quemuis nobilitatis palàm vel clàm, vti insignibus timbratis, in sigillis, tapetibus, in exequiis aliisque actibus, vti ceremoniis aut honoribus, solis nobilibus competentibus; sub poena quòd publica auctoritate, quod secus actum erit, delebitur, irritabitur, & flor. 50.

Nemo alienæ familiæ, quamuis intermortuæ nomen aut arma assumat, nisi per adoptionem, testamentum, contractum matrimonialem ab iis, quorum in potestate esset, & à Principe obtinuerint: nisi sicubi mores emologati id permittant.

Ne quis insignium paternorum, auitorum, proauitorum seriem interturbet, inordinata aut aliena interserat.

Qui quocumque titulo dominia obtinuerint, eorum insignia tamquam familiaria gestare non possint. liceat tamen eis vti dominiorum titulis, expresso tamen nomine suo & agnomine, & in negotiis dominij sigillo dominij. quòd si autem huiusmodi dominia magnæ fuerint dignitatis, vtpote Baronatus, aut maiores, atque ad ignobilem manum deuenerint, eo ipso tituli, nomina, & dignitates cessent.

Vt secundò & vlteriùs geniti, quin imò primogeniti viuo patre, integra insignia non gerant; sed aliqua nota distincta, vt perpetuò lineæ dignosci possint, & ex qua quique descendant donec anteriores defecerint; exceptis Luxemburgis & Gueldris, quibus non sunt ij mores.

Vt qui per mechanica exercitia, opificia, seu vilem professionem aliam nobilitate exciderint, illius rursum honore aut immunitate non fruantur, nisi postquam ab illis reipsa abstinuerint, ac nobilis genealogiæ suæ rectâ serie probatæ litteras à Principe rehabilitationis obtinuerint; eæque Heraldorum actis inscriptæ fuerint: nisi vbi mores emologati, seu aliàs notoriè vsurpati huiusmodi litteras non exigunt.

Vt nemo sibi aut alteri tribuat titulum Baronis, aut maiorem, aut secus insignia sua delatores aut sustentatores ponat, coronásve indebitè assumptas, nisi hæc sibi per litteras Principum nostrorum probet attributa, seu perditis per bella litteris notoriè possessa: quo casu aliæ dabuntur litteræ actis Heraldorum inscribendæ.

Vt nemo vtatur titulo equitis, nisi dignitate equestri à Principibus nostris donatus. vt notarij & scribæ publici titulos nobilitatis nemini adscribant, nisi quem certò aut omninò verisimiliter ei deberi compertum habuerint.

Vt ab externo Principe obtenti tituli, nobilitas, insignia, legitimatio incolis harum ditionum nihil proficiat.

Vt nemo supra insignia ponat timbra facie planâ, ad supre-

morum

morum Principum modum, nec galeas vndique inauratas, neque coronas alias, quàm distinctè cuique dignitati competant.

Vt spurio sanguine nati, quamuis rescripto Principis legitimati, ipsi bastardi & naturales barram insignibus interserant: eorum autem liberi insignem notam, quæ à secundò genitis legitimis ritè eos distinguat. Fortuna autem non mutat iura natalium. nulla inter pauperes & opulentiores est distantia. *l. humilem. C. de incest. nupt.*

Et ne contingat in nouorum insignium concessione, aut antiquorum approbatione aliis præiudicari, vt omnes nobiles sua insignia, patris, atque matris, & titulos mittant ad primum seu generalem Heraldum suæ Prouinciæ, vt registris ritè inscribantur, quæ in concessionibus huiusmodi consulantur.

Vt nuntij prouinciarum, territoriorum, & ciuitatum insignia deferant sine corona *op verheuen bussen* ad latus corporis sinistrum.

Vt omnes litteræ post aduentum Alberti & Isabellæ Principum impetratæ, nobilitatis, insignium, legitimationis, equestris dignitatis, aliarumque id genus concessionum registrentur apud generalem, & prouincialem Heraldum; alioquin non prosint.

De nobilitate scripsit noster *Hollanderus*, Tiraquellus, Loyseau *tract. des ordres & simples dignitez, de la noblesse en general, des simples gentils hommes, de la haute noblesse, des Princes, & des simples dignitez en France.* vbi ea passim tradit quæ his in causis nostris ferè moribus conueniunt.

De re militari.

POst dignitatem equestrem Codex vicinum habet titulum, *Qui militare possint*, quoniam equestris ordinis, eorumque qui aureorum annulorum iure donati erant, dignioumque ciuium propria fuit militia Romana, vt non tantùm serui prohiberentur militare, sed & decurionum filij,

& muneribus ciuilibus obnoxij, curialis vel cohortalis conditionis, coloni vel ſaltuenſes, vt nec vltrò ſe offerentes ſuſciperentur, nec inuiti cogerentur, *l. 2. 3. 4. 6. 7. C. eod.* quomodo etiam titulo ſequenti, *negotiatores ne militent*, conſtitutum eſt.

Sed & qui litis cauſa militiam appetierint poſtulantibus aduerſariis ſolui iuramento ſolent. *l. 1. C. lib. 12. qui militar.* quod hodierna militia vix recipit, vt nec illud, ne dibitores pecuniæ aut criminum rei in milites adſcribantur, iuxta *l. vlt. D. de re milit.* Ad milites remque militarem ſpectant qui conſequuntur tituli, ad finem vſque libri duodecimi: de caſtrenſi peculio, præfecto annonæ, & erogatione annonæ militaris, excoctione & tranſlatione eiuſdem, veſte militari, iudiciis, priuilegiis, ſtipendiis, hoſpitiis, ſeu metatis, epidemeticis, ſeu pretio hoſpitij redimendi; quod ad vitandam concuſſionem deinceps prohibitum eſt, *l. vlt. de metat.* vt & ſalgamum, quod hoſpitibus non eſt præſtandum, nec illius gratia culcitras, ligna, oleum milites vel à volentibus auferre non debent; de commeatu, ſeu commeandi poteſtate, vel ad tempus vel in perpetuum à tribunis cohortium, præpoſitis militum, vel etiam à Principe concedenda, de tyronibus, de veteranis, de littorum itinerumque militari cuſtodia, de deſertoribus, eorumque occultatoribus puniendis, de filiis Officialium & militarium, qui in bello moriuntur, in locum parentum ſurrogandis, cùm aliàs de non continuandis inter parentem & filium honoribus leges latæ eſſent, de numerariis, ſeu tabellariis, qui nomina, numeroſque militum conſcribunt, & actuariis Iudicum militarium, aliorumque, de curſu publico, quo duces exercitus, aliique ex eorum iuſſu vti poſſunt, & ſæpè debent, angariis, & parangariis, eius curſus adminiculis, de tractatoriis litteris, quibus hoſpitium eis præberi mandatur ac victus, & ſtatiuis, manſionibúſvè vbi conſiſtere debeant, de apparitoribus, qui & ipſi inter milites numerantur, præfecto pretorio, vrbi, magiſtrorum militum, proconſulis, legati, comitis Orientis, præfecti annonæ, Judicum officiis diuerſis, & approbatoriis eorum, ſeu Princi-

pis

pis elogio, ac diplomate, singulorumque priuilegiis, de cohortalibus principibus cornicularijs ac primipilariis, de executoribus, & exactoribus qui erant familia Iudicis armata, de lucris & concussione officiorum seu apparitorum, primopilo, seu pastu, & annona militari, qua contenti esse iubentur, & alieno abstinere, neminemque concutere, ne quidem publicæ lætitiæ, vel consulum nuntiatores, & insinuatores constitutionum & aliarum sacrarum iudicialium litterarum, & ex descriptione, vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum. nam honoraria quidem præstari nuntiantibus non vetantur, sed ait Gratian. *l. vn. C. publica lætitiæ*, *hoc sine immodico pretio nuntiari, excipiq; sancimus: nec turpi colludio quæri ex miseris pretium gaudiorum.* quæ lex opportunè monet eos qui euangelizant gaudia magna nostræ fidei, quomodo sacros vultus Christus mundo intulit, & deuicto diabolo hominem ad cælestia reuocauit, vt ferentes spiritualia metant quidem temporalia, sed victum & amictum, & his contenti sint, nihil immodicum quærant: *Actum*, inquit Gratian. *iubemus esse castissimum.*

Miles ab hostibus captus & postliminio reuersus stipendia & donatiua medij temporis non recuperat. *l. 1. C. h. t.* de legatis & commissariis captis vt eorum lytrum solui debeat à mittente, præsertim si inuiti sint missi, secus iudicatum aliquando refert Christin. *vol. 5. d. 136.* Glossa *in hac l.* 1. aliique alibi distinguunt, in milite in presidio, vel ex improuiso capto, de iure vel indulgentia Principis. Christinæi casus inuiti proficiscentis rationem habere videtur ex eo quòd officium præsertim publicum, quod inuito imponitur, nemini debeat esse damnosum: in contractibus autem casus non præstantur, nisi fortè in sua causa satis prouisi. vt tetigimus *suprà t. mandati.*

Tyrones ex disciplina Romana exercebantur, quæ filijs Romanis olim charior fuit, & scholas habebant. *l. 3. C. de tyron.* disciplina non tantùm vsum armorum, sed etiam virtutes militares spectabat, & continentiam, vt feroces essent aduersus hostes, humani erga ciues & socios, timidi ad iniurias inferen-

dis,

das, prompti ad vindictam; vtque nihil magis ſtuderent, quàm laudem & gloriam adipiſci.

Quemadmodum Magiſtratibus cuiuſuis generis contractus hodie in prouincia in qua præſident licet celebrare; ita etiam militibus negotiari, agros colere, & ciuilia negotia tractare aduerſus veteres leges: & vt aduerſus diſciplinam delinquentes à commilitonibus occidebantur, ita hodie ſæpè ſclopetorum globis traiiciuntur. In furcam olim non tollebantur, niſi ſeditionis, proditionis, vel ſimilis ſceleris rei, *l. 2. D. eod.* hodie ex delictis non militaribus ſuſpendio etiam necantur. Et verò veterani etiam ſummis priuilegiis donati ſi in latrocinia ſe dederint, priuilegiis exuuntur, & à Rectoribus etiam prouinciarum competentibus pœnis ſubiiciuntur.

Littorum & itinerum cuſtodia ad rem militarem pertinet. præſidibus incumbit tam vt omnibus tutum iter ſit terrâ marique, quàm ne illicitæ merces ad barbaras nationes efferantur; & naucleri ex portu ſoluturi declarent in quam prouinciam ſint nauigaturi. *l. vn. C. de litt. & itin. cuſtod.* vnde territoriorum domini ſpolia prædonum in ſuis territoriis commiſſa in Camera Imperij ſæpiùs damnati ſunt reſarcire. Gail. *obſeruat. l. 2. obſ. 64.* quod accipi oportet non de quibuſuis, ſed ſuperioribus, quibus vſus armorum eſt permiſſus, qui de vno ad alterum locum eapropter commeatum præſtant; quem qui neglexerit habet quòd ſibi imputet.

De cuſtodia ciuitatum & portarum clauibus ſæpè inter militares & ciuiles poteſtates quæritur. Boer *in tract. de cuſtodia clauium portarum ciuitatum, &c.* conſuetudinem dicit eſſe generalem regimen clauium habere adminiſtratores Reipublicæ. neque dubitandum eſt pacis tempore quin id obtineat, comprehenſumque intelligatur conceſſione Principali, quâ locus iure ciuitatis donatus, & ab incolis muris cingi, turribus & portis inſtrui permiſſus eſt: ſed ſi belli tempore ad ſecuritatem publicam in ciuibus non ſatis præſidij eſſe videatur, ſed miles ſit imponendus, & Chiliarchæ ſeu maioris nominis præfe-

ćto

cto cura demandetur, huic tradi ſolent claues, præſertim in vrbibus non ſummis: ſed quoniam temporis, loci, perſonarumque circumſtantiæ variæ ſunt admodum, multi indies natæ quæſtiones, ſolent ad Principem referri, & ille hîc militari, illic ciuili poteſtati claues committere. ad Principem enim ſpectat ſuprema cura, cuſtodia, defenſio.

Summa Imperij, vt maximè reſplendet in bello, & re militari; ita maximè illam defendit, atque conſeruat. vnde quàm ſæpiſſimè Principes noſtri promulgarunt E. *8. Ian.* 1529. *9. May* 1539. *2. April.* 1543. *9. May* 1542. *18. Feb.* 1547. *9. Decemb.* 1551. *2. Febr.* 1617. *20. Ian.* 1618. *8. Mart.* 1621. vt nemo militem conſcribat intra has ditiones: nemo ſubditorum externi Principis militię nomen det, ſine venia Regia: miles non tranſeat, aut aliquem concutiat, ſub pœna ſuſpendij, corporiſve & bonorum confiſcationis, ſine ſpe veniæ: vt nec captiuos liceat ſoluto lytro dimittere: ſed prouideant limitanei officiarij, ne huiuſmodi hominibus pateat tranſitus, & ſi quid attentent apprehendantur, criminaliter puniendi: ſed & militiæ externæ dediti reuertantur, ſub pœna confiſcationis corporis, bonorum, & banni: quodque tam ipſi quàm vxores & liberi ſecludentur à ſucceſſionibus, quæ maritis eorum, aut parentibus poſſent deferri: ſed nec partem ipſi accipere poſſint ex bonis parentum, aut conſanguineorum per ſucceſſionem, teſtamentum, donationem, &c. ſublatâ Iudicibus facultate pœnæ mutandæ, minuendæ. atque hæc quidem ad terrorem, & ferè ad populum lata ſunt, cùm vel bellum Principibus noſtris immineret, aut iis ſociis aduerſus quos, ſuos nollent militare. & ſolet facilis eſſe redeuntibus ad mentem & obſequium gratia Principis atque remiſſio.

Edicto *28. Nouemb.* 1527. *27. Ian.* 1521. *vlt. Feb.* 1530. vt qui militarunt & miſſi ſunt, redeant ad loca natiua, externi ditionibus excedant, ſi ſibi non ſufficiant, ſed ſtipem cogant: omneſque miſſi, qui non ſunt de numeris retentis, ſeparentur, & ſuas quique domos repetant: neminem concutiant, exigant,

hospitentur, sub pœna confiscationis corporis & bonorum: sicubi separari noluerint, officiarij vi cogant, ad sonum campanæ; sub pœna priuationis officij: & si resistentes lædantur, impunè sit, quoad publicam priuatamque vindictam. E. *18. Septemb.* 1542.

Et quoniam belli tempore domi conspiratores sępiùs habentur, foris exploratores adueniunt: Edictum est 6. *Aug.* 1542. vt qui aduersus Principem conspirant, denuntientur gubernatori, aut officiatio Principali, etiam agnati; cum omni notitia quæ de iis habetur; sub pœna amissionis corporis & bonorum: tametsi probationes non habeantur, dummodò malignitas absit.

Edicto *vlt. April.* 1537. vt vigiliæ ad portas ciuitatum ponantur; interrogentque singuli aduenæ quales sint, vnde veniant, quò vadant, quid exerceant: nulli militi transitus permittatur, nisi ex chirographo centurionis: occlusis portis, quicumque aduenas aliquos hospitio exceperint, eorum nomina, qualitatem, exercitium, officario indicent: & si quod indicium explorationum deprehendatur, nulla desit diligentia.

Sed & domi in præsidiis atque intra prouincias compesci militarem insolentiam enixissimè Principes semper voluerunt. E. 15. *Iunij* 1556. & vt nulli sub prætextu militiæ monasteria excedant.

Edicto *2. Iul.* 1552. iussum, vt milites exhibeant litteras sui conductus, alioquin apprehendi possint: & si constiterit sine venia discessisse, etiam suspendio puniri: secundùm leges militares, citra appellationem.

Aliud E. editum est 25. *Martij* 1581. aduersus excessus militares, atque ad promouendam agriculturam. aliud 27. *Maij.* 1596. copiosum pro disciplina militari, coërcenda militum insolentia, quiete rusticorum, promotione agriculturæ. atque vt ductores militum disciplinam seruent sæpiùs iudicatum teneri centuriones, aliosque de furtis eorum, quos ducunt. Christin. *vol. 2. d. 82.*

Iterùm

Jterùm 25. *Ian.* 1593. pro disciplina militari tam in præsidiis quàm transitu seruanda, & vt proficiscentes milites contenti sint in diem vnâ librâ carnis, sesqui librâ panis, vno poculo cereuisiæ, neque amplius extorqueant. quod idem placito 22. *Feb.* 1582. fuerat decretum.

Est & Ep. Regia 7. *Ian.* 1592. quæ mandat priora edicta seruari, & vt in delictis militaribus ad Judicem militarem fiat remissio: in aliis rei puniri possint à Judice loci, in quo fuerint apprehensi. Denique aliud 14. *Ian.* 1623. super transitu, & coërcenda insolentia militari. & E. 1. *Iunij* 1544. proponens taxam sub qua rure, & in vrbe miles, & equus excipi, & moderatè tractari debeat: ne supra æquum exacto stipendia sufficere non possint, & rusticos concutiat. E. 5. *Octob.* 1555. E. 22. *Febr.* 1626. aduersus desertores. Sed & E. 5. *Octob.* 1555. præter milites omnes cuniculorum operarios, aliosque id genus militiæ asseclas ad vexilla reuocat, sub pœna capitis. E. 12. *Decemb.* 1609. aduersus milites qui secessionem vmquam fecissent, & per seditionem stipendia postulassent (quos mutinatos vocant) vt intra certum diem ex his ditionibus omnibus discedant, sub pœna capitis & omnium bonorum. quod rigidum quidem fuit, post condonatam culpam, vt fieri assolet cùm seditiosis stipendia soluuntur, signaque confringuntur: & rigidè executioni demandatum: sed salus publica rigorem hunc postulabat aduersus frequens, & validum malum. ob quod plures ciuitates prouinciæque perierunt à principio belli Belgici, quàm vllo errore militari.

Denique pro promptiori malorum militarium remedio E. 15. *Maij* 1587. data instructio, seu mandata Regia, pro iurisdictione militari.

Post militiæ generalia edicta, meritò singularem locum demus ordinariis turmis equestribus, quòd vicem Palladij Belgici rectè ex instituto sustinere videantur. E. 12. *Octob.* 1547. quæ quia & pace & bello militiæ sunt obligatæ, & amphybia quædam priuilegia habent, cum disciplina militari: visum est

hîc idem institutum latioribus verbis proponere. Igitur oportet eas ab armis conuenientibus continuò esse instructas: & ad iter quò vocentur paratas. Jurant milites equos & arma esse sua: fidelem spondent militiam, & obedientiam militarem, & in præsidio mansionem, nisi conductum obtinuerint: iter facere iubentur viâ Regiâ sub vexillis, ita vt nemo deflectat: omnesque vbi ordinatum fuerit, hospitentur, sub pœna vitæ: quæ hospitia capientur, prout opportunitas itineris, & anni tempestas feret, sine personarum vllo respectu: alioquin obnoxij erunt Duces, seu Capitanei; & metatores laqueum incurrent, si ob aurum, aut quodcumque beneficium loca vna excusauerint, alia grauauerint.

In itinere, aut præsidio existentes pauperiem, aut noxiam non faciant, sub pœna vitæ: expensas suas equorumque iuxta pretium taxatum soluant.

Dum de vna ditione in alteram proficiscentur, Duces centurionésve gubernatoribus, seu curam illius ditionis habentibus id indicabunt, vt de annona prospiciant; eamque, si opus, taxent.

Ad ignem hospitum gratiosè possint accedere; si ampliorem desiderent, soluant ad iudicium Capitanei, & ex consilio Magistratus loci: lignum nullum fabrefactum, aut iam operi applicatum, arbores crescentes, sepes viuas, aut alias comburant, sub correctione arbitraria.

De vnis numeris seu turmis ad alias transire nulli liceat, nec Capitaneo recipere, nisi de scripto consensu eius à quo abibitur: & qui turpiter missi sunt, sine simili scripto causam missionis & consensum continente, non recipiantur: vti neque calones inseruientes huiusmodi equitibus, & innumeros vt tales relati transire de vnius seruitio in alterius, sine illius consensu non possint.

Animaduertant Capitanei, eorumque Locumtenentes, ne qui vagabundi turmas sequantur: sed pueri tantùm & ministri necessarij, & qui herum habeant: alios, qui se ingerunt, pręposito

posito militari, aut eo deficiente officiario vicinæ vrbis tradi curent, puniendos iuxta edicta.

Ducum centurionúmve domestici, à cubiculis, secretis litteris, œconomia, culina in numeros non referantur: censitores sub iuramento interrogent, deprehensos quomodocumque mittant.

Commissarij dentur, qui proficiscentes turmas sequantur, querelas audiant, noxias apprehendi curent, ac tradi præposito militari viciniori, ad vindictam exemplarem: illóve deficiente, gubernatori loci, vel si desit, Iudici prouinciali.

Permittitur loci officiariis militarem hominem in flagranti delicto, aut concussione deprehensum, sine vexillo, punire; aut si Capitaneus adsit, ei tradere: qui debitè corrigat, ipse alioquin responsurus.

Capitanei cognitionem habeant in præsidiis omnium caussarum, non capitalium militum suorum: si capitales occurrant, reos apprehendi curent, & tradi iis de quibus mox diximus: & si reus fugerit, officiarius loci delicti faciat informationem, omnesque officiarij fugitiuum possint apprehendere, & punire: nec teneantur ad Capitaneos aliósve remittere.

Quoad delicta ante militiæ sacramentum commissa, si capitalia fuerint, sine remissione cognoscet Iudex ordinarius: si non capitalia, cùm miles in præsidio fuerit, ordinarius non se intromittet, si foris, cognoscet perinde ac si non militaret.

Milites sine vexillo foris pro delictis durante militia commissis ab ordinario possunt apprehendi, nisi à Capitaneis missi fuerint ad actum aliquem militarem.

Neque aliter quàm dictum est possunt ordinarij quicumque cognoscere de delictis militaribus in præsidio commissis; neque Duces aut Capitanei quicumque gratiam facere, securitatem, aut inducias dare, aut iustitiæ progressum impedire.

Quoad debita ante militiam contracta, Iuri stabunt coram Iudice competente loci, nec militia excusabit: non tamen

dum eunt redeúntve ex præsidio personæ eorum, equi aut arma arrestari poterunt; etiam in executionem rei iudicatæ: sed ei subiici debent bona eorum mobilia, & immobilia: nisi forte debitum contractum sit ex emptione equorum, aut armorum.

Quod actiones hypothecarias durante militiâ quamuis contractas, omnesque alias actiones reales, & eas, quæ de successionibus sunt, quisque Iure consuetudinario vtetur, sine priuilegio militiæ; nisi fortè iustis ex causis moratoriæ litteræ concessæ fuerint.

Quoad obligationes in præsidio contractas solus Capitaneus excluso ordinario cognoscet: de consilio eorũ quos volet breuẽ Iustitiam faciet: atque executionẽ etiam super persona, equis, & armis: & si Capitanei litis acta miserint ad Concilium Prouinciale, eis sine difficultate de Iure respondeatur.

Hisce turmis ordinariis renouata auctaque sunt sua priuilegia in perpetuam militiam & præsidium harum ditionum E. 21. *April.* 1591. 5. *April.* 1597. 3. *April.* 1599. 2. *April.* 1607. 13. *Nouemb.* 1615. 1. *April.* 1610. 10. *Decemb.* 1624. quo tuta sit respublica domi à seditionibus, si quæ ingruere possent, per has mox compescendis; & foris à vi externa: adeoque maxime in limitibus consistere solent.

In vtramque rem optimus Princeps Car. V. E. 7. *Octob.* 1531. *ar.* 44. de Ordinum generalium consilio edito commendat omnibus ditionibus, tamquam sub vno capite membris, mutuam amicitiam, & defensionem: si qua difficultas oriatur, amicè per eos componatur; alioquin per gubernatores singularum prouinciarum: & si opus per Reginam Regentem Sororem: & promittit aduersus omnem vim, vt bonus Princeps, bonorum subditorum defensionem. Ea in turmis his ordinariis prædestinabatur, quæ belli pacisque tempore perpetuò alerentur. nec verò fefellit illum sua spes. nisi quòd ciuilium etiam tumultuum incommodis inuolutæ, nec productæ, nec exauctoratæ per diffidentiam diu elanguerunt. sed rursus ad

Bre-

Bredam fidelem operam opportunæ necessitati præstiterunt.

Priuilegiorum summa ferè hæc capita: vt qui alis equitum ordinariis asscripti sunt, prouisionaliter, & donec super re tota militari generatim dispositum erit, continuò ac reipsa equis & armis instructi sint: immunes ab omnibus vrbium, pagorumque, vbi resident, quamuis bellicis; oneribus (non tamen extraordinariis subsidiis, in quibus Clerus, Nobilitas, alitérve ibi immunes contribuunt) ab hospitiis præsidiariorum, aut transeuntium militum, pecuniisque in eam rem conferendis: scilicet in domibus suis propriis; seu in quibus habent domicilium principale; non in conductis rusticis seu agriculturæ seruientibus.

Militiæ reipsa dediti, seu in expeditione, seu in præsidio vsque in reditum, pulsari non poterunt vllis litibus, nisi si fuerint in loco sui domicilij: vbi coram Judice sibi competente conueniri poterunt, nusquam tamen molestari vllà executione, vel arresto in personam, arma, equos; quamuis nec sint in expeditione; nisi pro debitis eò loco contractis, seu ob equos, & arma iuxta E. 1547. Exempti etiam erunt quoad iurisdictionem, scilicet conformiter ad priora edicta.

Ad rem denique militarem refertur, ne quis arma vetita ferat. vt E. *vlt. Ian.* 1614. 16. *Feb.* 1627. prohibentur sclopeta 32. pollicibus minora. etiam ante E. 11. *April* 1541. ne quis preter militès stipendiarios, officiarios, scabinos, confraternitates ciuitatum, exteros mercatores, sclopetum ferat: sub pœna confiscationis eiusdem, ac decem aureorum; quos qui non habet in ære, luat in corpore.

Insuper eodem pertinet, ne arma ad hostes ferantur, ne commeatus, non quidquid bello subseruire potest; non puluis nitratus, salpetræ, glandes plombeæ; aurum, argentum cusum, aut non cusum, annona, merces cuiusuis generis rectâ viâ, seu obliquâ. E. 6. *Iul.* 1512. 28. *August.* 1513. 1. *Iun.* 1626. 3. *Septemb.* 1542. 1. *Feb.* 1543. 3. *Ian.* 1544. 30. *April.* 1553. 27. *May* 1554. 6. *April.* 1589. Et quidem feruentibus bellis Gallicis etiam rigidè

gidè cautum, ne quis dolus admittatur: E. 9. *Octob.* 1551. vt nullę merces quocumque deferantur ad terras amicas, vel neutrales, eo fine vt directè vel indirectè ad hostiles perueniant: vt mercatores teneantur mercium quantitatem, qualitatem & numerum declarare, & iurent se eas in terras hostiles non distributuros, sed si in Germaniam aut Italiam mittantur, declaratione vel iuramento non erit opus, nisi specialis occurrat suspicio; sed tantùm si per mare aut vicina Franciæ loca merces deducantur. Qui cuprum, canapem, haleces, piscem sale conditum efferre volent ad loca Franciæ vicina, cautionem præstare tenebuntur, ad valorem similium mercium: quòd eas distribuent in terris amicis, aut neutralibus, designandis; & exinde fidem distractionis facere tenebuntur.

Parique ratione E. 9. *octob.* 1551. 30. *April.* 1553. vetitum ne vllę merces, ne vina Francica in has ditiones inferri possent, ne quidem ad exercitum nostrum: vt centuriones, & milites cum mercatoribus non colludant, quasi captis vinis & mercibus, sub tympano venditis: & vt per vias Regias, & ciuitates edicto præscriptas transuectio fiat, & Commissarij in finibus visitare possint cistas, arcas, & arcana: summariè sinè figura Iudicij procedatur.

Vt nemo ex quacumque terra deferat merces in Gallia natas, aut inde profectas, sub pœna confiscationis earumdem mercium, nauium, curruum: vt seruetur ordinatio de prohibitis efferri mercibus, vtpote armis, equis, frumento, auro, argento, & quisquis in Franciam euexerit, contrauentor capite luat, & bona confiscentur: & quò minùs dubitetur de iis, quæ ad arma pertinere censeantur, latè omnia recensentur.

Ad eamdem rationem E. 19. *Iul.* 1625. prohibitum est, ne quis negotietur cum incolis prouinciarum, quæ à fide Regi debita desciuerunt. & cùm ei multa fraus fieret edictum est 23. *Iul.* 1626. ne sub prætextu mercium ex Oostlandia profectarum vllæ inferantur per edictum prohibitæ: vt permissæ rectà deuehãtur in portus Flandricos, nullis aliis interim quacumque

cumque ex causa attactis: vt qui aduehunt, quàm primùm exhibeant mercium synopsim, cum scabinali testimonio vnde, quo die, qua naui, quo domino, quo nauclero, quo mercium domino, ad quem dominum seu institorem deuehantur: testimonio inquam, siue loci sigillo, & secretarij chirographo munito, eodemque vtroque ab alia publica persona, & duobus testibus cognito: sub pœnis commissi mercium, aqua vel terra illatarum, correctionis domini, naucleri; aliis in edicto propositis.

Sub ea prohibitione tamen non comprehenduntur frumentum, siligo, auena, aliáve grana, quos fructus æstiuos vocant, quæ liberè vndecumque inuehi poterunt.

Quod tamen Edictum cùm fine suo destitueretur intercidendorum minuendorumque apud Batauos commerciorum, per ministrorum plures in portubus & viis corruptelas, & facilè nimis factam aliis indulgentiam, tandem reuocatum est, & restrictum ad pauciores merces, sub *licentia* vectigali.

Rursus ad rem militarem referendum est, vt qui commeatum aut annonam curant militarem, vel aduehunt, E. *vlt. Apr.* 1537. immunes sint ab omnibus muneribus, itinerum, pontium, teloniis, &c. neque sisti possint ob debita, muniti testimonio commissariorum annonę. & magistratus sollicitudinem gerant per deputatos, vt ad condicta loca annona subuehatur: illius, & vecturarum pretium taxetur: & ne carius fiat, & ne efferantur grana extra patriam: sub pœna confiscationis granorum, nauium, curruum, dupli, & correctionis: & edicta valuis Ecclesiarum, prætoriorum, portarumque ciuitatis affigantur.

Quod idem repetitum est E. 19. *Maij* 1544. 28. *April.* 1553. additumque, vt annonarij obligentur ad cautionem de ea annona ad exercitum transferenda, & testimonium translationis factæ: vt aurigæ requisiti ad annonam transferendam, pretio taxato de facto & remota appellatione cogantur: publicatio fiat vt suprà: atq; in omnibus viis, & vicis, & compitis ciuitatum.

Denique 24. *Ian.* 1554. rursus idem publicatum repetita immunitate. ita tamen vt braxatores & annonarij in ciuitatibus teneantur soluere antiquas accisias; non alias impositiones, nisi in precariis promissis aliter decretum sit.

Vt annonæ copia militi nostro omnibus modis est procuranda, sic & hosti intercidenda. vnde E. 23. *August.* 1577. prodeunte in aciem hoste mandantur destrui molæ, quò deesse farina ei possit. sed hodie ferramenta auferuntur, quò inutiles fiant, donec tempestas desierit.

Ad rem denique militarem spectat, vt Duces militiæ prouideant, ne in vrbibus, quamuis ciuilibus ex causis, secessiones fiant; atque dentur initia tumultuum: consultantes de Repub. vt statis horis conueniant, statis domum regrediantur.

In Brabantia ex tabulis Ioannis Ducis *an.* 1312. omnes armis ferendis idonei ad generalem expeditionem patriæ defendendæ vocati comparere debent, sub pœna capitis & bonorum; nisi à Principe absentiæ veniam impetrarint.

De classicis, seu de re militari nautica.

INfelicitas bellorum nostrorum non saturata est sanguine in terram fuso, etiam eo maria voluit decolorari: non mari secus est quàm terrâ belligeratum. eam ob rem pridem vetitum E. 15. *April.* 1551. vt nulli nautæ sine venia Principali militent externo Principi, sub pœna corporis & bonorum. E. 16. *Iul.* 1574. vt nihil efferatur in ditiones refractarias, quod nauibus ædificandis, vel instruendis seruiat. E. 6. *April.* 1590. ne puluis nitratus, & salpetra. qua super re plures sanciuntur regulæ, ad eruendum, conficiendum, distrahendum hoc genus militaris mercis, in hominum perniciem inuentæ. & exactiùs E. 13. *April.* 1601. exactissimè E. 16. *Ian.* 1618. rursus E. 2. *August.* 1590. de re tota militari nautica, iure, auctoritate, prærogatiua iurisdictione Præfecti maris Belgici, de apparatu, instructione nauium bellicarum, & descensu in mare,

re, de prædis, & iudicijs maritimis, saluis conductibus, commeatibus.

Denique E. 5. *Ian.* 1524. de erectione, auctoritate, iurisdictione Cameræ, seu Concilij maritimi, apparatu nauium bellicarum, & descensu in mare, prædis & iudiciis maritimis amplissimè disponit. quæ omnia non est visum latiùs disserere. propiora sunt studia Neptuniarum prolium.

Sed & mercatorias naues aduersus piratas pacis tempore, seu hostes belli tempore ab armis instructas esse, vt tuta nauigent commercia, pridem decretum est E. 29. *Ian.* 1549. quod latè agit de nauigatione, nauium instructione onerariarum, & piscatoriarum armis, numero hominum, & regulis nauticis, defensione nauali, operis stipendiis, assecuratione nauium, & mercimoniorum; inhibitâ salui conductus petitione à piratis, disciplinâ nauali militari contra piratas, politiâ piscatoriâ, accuratis singula legibus proposita.

Sed & E. 19. *Iul.* 1551. iisdem super rebus. quibus additæ regulæ secundùm quas mercatores, piscatores, nautæ naues suas instruere, onerare, portu excedere, in nauigatione, reditu, exoneratione conformare se debeant. Denique 51. regulę Iuris maritimi. Jterùm E. *vlt. Octob.* 1563. dedit leges maritimas de apparatu nauium, nautis, institoribus, mercatoribus, naucleris, cęterisque ephibotarum officiis, naufragiis, iactu, damnis nauibus inuicem datis, mulctis, emendis nauticorum excessuum, cęteraque politiâ nauali.

Quibus de rebus omnibus, præsertim quà mercaturam spectant, eique subseruiunt, prout mores hodie habent, optimè atque latissimè desseruit Grotius *in Isagoge Iur. Holland. l.* 3. *c.* 20. 21. 22. 23.

Sed & iure scripto rebus maritimis fuit prouisum. vt enim regentis prouinciam officium est, malis hominibus eam purgare, ita etiam vicinum mare, adeoque classes & naues paratæ ad bellica obsequia habebantur, & incensiti, seu numeri militum nauticorum. *l. unic. hoc tit.* Neque verò hanc necesse

est accipi cum Gothofredo pro nauibus amnicis dumtaxat purgandorum fluminum causa instructis, quoniam ea cura non esset digna præfecto prætorio ad quem ea lex dirigitur, & cui classem Seleucenam aliasque vniuersas obsequi dicit, & Seleucenam mitti ad auxilium purgandi Orientis, aliasque necessitates, quæ distant longè à curis dumtaxat amnicis.

De nauigatione Indica, cęteris gentibus præter Hispanos atq; Lusitanos prohibita, atque vt Mare non Liberum, vt voluit Hugo Grotius, sed potiùs Iberum hodie sit censendum, diximus *in Iur. Pont. nou. anal. tit. de sum. Trin. in fin.* eamque nauigationem Alexander VI. commerciorum, aliáve quacumque de causa susceptam prohibuit, sub excommunicationis latæ sententię pœna. meritò: vt præmium Insularum illis Regibus, qui tam sanctam operam fidei propagandæ nauassent in iis detegendis, cederet non tantùm, sed & ne rectæ fidei cunabula ibi contaminarentur ab iis, qui domi suæ religionem conspurcassent. Qua de causa, pluribusque politicis, si rectè Iosaphat Rex Iuda noluit Regem Israel ad classem suam in Insulam Ophir ex more Maiorum nauigantem ad auri opumque societatem admittere; Rex Catholicus ne alij in Indias nauigent tam iustè armis prohibet, quàm legibus interdicit.



SERIES

SERIES
EDICTORVM

Ex ordine temporis ad bina Placitorum impressa Volumina Libros & Rubricas relatorum.

Anno 1152.

Mense Aprili v.1.l.3.r.3

Anno 1293.

In vigilia omnium Sanctorum. v.1.l.1.r.4

1366.

10.Nouemb. v.1.l.2.r.27

1385.

15.Februarij v.1.l.1.r.12

1407.

vlt.April. v.1.l.1.r.10

1409.

17.August. v.1.l.1.r.12

1414.

17.Octob. v.1.l.1.r.11

1448.

15.Februarij v.1.l.1.r.6

27.Nouemb. v.1.l.1.r.4

1456.

17.Jun. v.1.l.1.r.5

1460.

27.August. v.1.l.2.r.27

1469.

17.Octob. v.1.l.1.r.3

1471.

11.12.13.Iul. v.1.l.1.r.15

1479.

17.Octob. v.1.l.1.r.3

1485.

12.Septemb. v.1.l.1.r.8

1486.

24.August. v.1.l.1.r.4

1489.

14.Decemb. v.1.l.2.r.5

1493.

28.Octob. v.1.l.1.r.5

1494.

8.Aprilis v.1.l.2.r.10

1495.

vlt.Iun. v.1.l.1.r.6

1496.

20.Maij v.1.l.1.r.8

14.Octob. v.1.l.1.r.4

17.Nouemb. v.1.l.2.r.10

1497.

16.Ian. v.1.l.1.r.12

29.Ian. v.1.l.1.r.12

18.Febr.

20.Maij v.1.l.1.r.8

17.Octob. v.1.l.1.r.3

17.Nouemb. v.1.l.2.r.10

1500.

2.Maij v.1.l.1.r.6

2.Maij v.1.l.1.r.3

10.Maij v.1.l.1.r.3

22.Septemb. v.1.l.1.r.8

1502.

24.Ian. v.1.l.1.r.13

1505.

1.Mart. v.1.l.2.r.4

1506.

22.Septemb. v.1.l.1.r.1
27.Septemb. v.2.l.2.r.8

1507.

17.Mart. v.1.l.2.r.4

1508.

5.April. v.1.l.1.r.9
29.Septemb. v.1.l.2.r.20

1509.

16.Febr. v.1.l.2.r.5

1510.

27.Mart. v.1.l.2.r.20
9.April. v.1.l.2.r.6
21.April. v.1.l.2.r.3
1.Iun. v.1.l.1.r.1

1511.

3.Febr. v.1.l.1.r.9
2.Decemb. v.1.l.1.r.13

1512.

25.Maij v.1.l.2.r.21
29.Maij v.1.l.2.r.1
6.Iun. v.1.l.2.r.26

1513.

6.April. v.1.l.1.r.9
28.Auguſt. v.1.l.2.r.26
5.Octob. v.1.l.2.r.3

1514.

5.Octob. v.1.l.2.r.3
16.Decemb. v.1.l.1.r.11

1515.

5.Ian. v.1.l.1.r.2
8.Maij v.1.l.2.r.2
8.Maij v.1.l.2.r.1
8.Maij v.2.l.2.r.10
8.Maij v.2.l.2.r.10
10.Maij v.1.l.1.r.5
16.Maij v.1.l.2.r.8
18.Maij v.1.l.1.r.2
3.Nonas Iul. v.1.l.1.r.4
22.Decemb. v.1.l.1.r.1
17.Decemb. v.1.l.2.r.22
22.Decemb. v.1.l.1.r.1

1516.

6.Aprilis v.1.l.2.r.7
21.Octob. v.1.l.1.r.3

1517.

3.April. v.1.l.2.r.8
14.Auguſt. v.1.l.2.r.3
11.Octob. v.1.l.2.r.8
17.Octob. v.1.l.2.r.8
17.Octob. v.1.l.2.r.8
16.Nouemb. v.1.l.1.r.6
vlt.Nouemb. v.1.l.1.r.2
19.Decemb. v.1.l.2.r.8

1518.

5.Ian. v.1.l.1.r.2
14.April. v.1.l.2.r.8
13.Auguſt. v.1.l.1.r.3
8.Septemb. v.1.l.2.r.7
28.Nouemb. v.1.l.1.r.1

1519.

12.Mart. v.1.l.2.r.22
3.April. v.1.l.2.r.3
21.Septemb. v.1.l.2.r.8

1520.

1520.	
1.Octob.	v.1.l.2.r.12
12.Nouemb.	v.1.l.2.r.8
1521.	
27.Ian.	v.1.l.2.r.29
8.Maij.	v.1.l.1.r.7
5.August.	v.1.l.1.r.4
1522.	
4.Ian.	v.1.l.1.r.12
9.Maij	v.1.l.1.r.12
14.Maij	
23.Iul.	v.1.l.2.r.25
19.August.	v.1.l.2.r.19
9.Nouemb.	v.1.l.1.r.6
2.Decemb.	v.1.l.1.r.4
1523.	
23.Mart.	v.1.l.2.r.19
6.Octob.	v.1.l.2.r.7
7.Octob.	v.1.l.1.r.6
1524.	
25.Ian.	v.1.l.3.r.2
7.Octob.	v.1.l.2.r.8
1525.	
10.Maij	v.1.l.1.r.5
1526.	
2.Maij	v.1.l.2.r.13
17.Iulij	v.1.l.1.r.7
4.Septemb.	v.1.l.1.r.14
10.Decemb.	v.1.l.2.r.5
18.Decemb.	v.1.l.1.r.14
1527.	
21.August.	v.1.l.2.r.9
4.Septemb.	v.1.l.1.r.14.
10.Septemb.	v.2.l.2.r.10
18.Octob.	v.1.l.2.r.19
28.Nouemb.	v.1.l.1.r.1
18.Decemb.	v.1.l.1.r.14
20.Decemb.	v.1.l.1.r.3
1528.	
20.Jan.	v.1.l.2.r.3
21.Febr.	v.1.l.3.r.1
24.Mart.	v.1.l.2.r.10
7.August.	v.1.l.2.r.3
28.Septemb.	v.1.l.1.r.6
1529.	
8.Ian.	v.1.l.2.r.28
14.Octob.	v.1.l.1.r.7
22.Nouemb.	v.1.l.2.r.3
1530.	
vlt.Febr.	v.1.l.1.r.1
15.Septemb.	v.1.l.2.r.12
10.Octob.	v.1.l.2.r.14
22.Nouemb.	v.1.l.2.r.3
29.Nouemb.	v.1.l.1.r.1
1531.	
4.Ian.	v.1.l.3.r.3
5.Ian.	v.1.l.3.r.2
24.April.	v.1.l.1.r.1
23.Maij	v.1.l.2.r.2
18.Iunij	v.1.l.1.r.4
2.August.	v.1.l.2.r.8
9.August.	v 1.l.2.r.1
22.August.	v.1.l.1.r.12
7.Septemb.	v.1.l.2.r.2
7.Septemb.	v.1.l.2.r.2
23.Septemb.	v.1.l.2.r.19
7.Octob.	v.1.l.1.r.7

7.Octob.	v.1.l.2.r.5
1532.	
14.Maij	v.1.l.2.r.19
1533.	
16.Iulij	v.1.l.1.r.12
21.August.	v.1.l.1.r.12
1535.	
11.Iun.	v.1.l.1.r.13
10.Febr.	v.1.l.1.r.12
10.Febr.	v.1.l.1.r.12
17.Febr.	v.1.l.1.r.7
16.April.	v.1.l.2.r.22
18.Maij	v.1.l.2.r.4
10.Iunij	v.1.l.1.r.7
16.Iulij	v.1.l.1.r.12
26.Iulij	v.1.l.2.r.1
8.Octob.	v.1.l.2.r.19
1536.	
25.Febr.	v.1.l.2.r.27
18.Maij	v.1.l.2.r.4
1.Iunij.	v.1.l.2.r.26
11.August.	v.1.l.2.r.5
7.Septemb.	v.1.l.2.r.22
1537.	
10.Febr.	v.1.l.1.r.12
15.Febr.	v.1.l.1.r.1
25.Febr.	v.1.l.2.r.7
vlt.April.	v.1.l.1.r.1
vlt.April.	v.1.l.2.r.30
9.Maij	v.1.l.2.r.28
1539.	
19.Mart.	v.1.l.2.r.1
12.Iunij	v.1.l.2.r.5
20.Septemb.	v.1.l.1.r.9

22.Nouemb.	v.1.l.2.r.3
1540.	
14.Febr.	v.2.l.2.r.10
14.April.	v.1.l.2.r.25
22.April.	v.1.l.2.r.3
10.Maij	v.1.l.2.r.5
22.Septemb.	v.1.l.1.r.7
4.Octob.	v.1.l.3.r.1
29.Octob.	v.1.l.2.r.5
7.Decemb.	v.1.l.r.16
1541.	
5.Ian.	v.1.l.3.r.1
16.Febr.	v.1.l.2.r.5
vlt.Mart.	v.1.l.2.r.3
11.Aprilis	v.1.l.1.r.1
2.Octob.	v.1.l.1.r.16
15.Octob.	v.1.l.1.r.9
20.Octob.	v.1.l.3.r.1
29.Octob.	v.1.l.2.r.5
7.Nouemb.	v.1.l.2.r.5
1542.	
27.Ian.	v.2.l.3.r.1
3.Febr.	v.1.l.1.r.1
6.Febr.	v.1.l.2.r.5
22.Febr.	v.1.l.2.r.5
6.April.	
24.April.	v.2.l.3.r.1
10.Iun.	v.1.l.2.r.25
23.Iunij	v.1.l.1.r.13
6.August.	v.1.l.1.r.1
3.Septemb.	v.1.l.2.r.26.
18.Septemb.	v.1.l.1.r.1
6.Nouemb.	v.1.l.2.r.5
27.Nouemb.	v.1.l.1.r.1

1543.

14.Ian.	v.1.l.1.r.10
12.Febr.	v.1.l.2.r.26.
7.Mart.	v.2.l.1.r.10
1.April.	v.2.l.2.r.5
7.April.	v.1.l.2.r.5
3.Septemb.	v.1.l.2.r.26

1544.

3.Ian.	v.1.l.2.r.26
20.Ian.	v.1.l.2.r.25
7.Mart.	v.1.l.1.r.7.
9.Mart.	v.1.l.1.r.15
9.Mart.	v.1.l.1.r.15
4.Maij	v.2.l.1.r.10
16.Maij	v.1.l.2.r.16
19.Maij	v.1.l.2.r.30
1.Iun.	v.1.l.2.r.29
12.Septemb.	v.1.l.1.r.7
25.Octob.	v.1.l.1.r.1
26.Nouemb.	v.1.l.2.r.19
9.Decemb.	v.2.l.1.r.10
12.Decemb.	v.1.l.2.r.19
18.Decemb.	v 1.l.1.r.7

1545.

30.Ian.	v.1.l.3.r.1
6.Maij	v.1.l.2.r.25
vlt.Maij	
26.Augu{st}.	v.1.l.1.r.13
vlt.Septemb.	v.1.l.2.r.1
5.Octob.	v.1.l.2.r.19
14.Nouemb.	v.1.l.2.r.3
26.Nouemb.	v.1.l.2.r.19
11.Decemb.	v.1.l.2.r.19

1546.

24.Ian.	v.1.l.2.r.25
12.Maij	v.1.l.2.r.20
22.Maij	v.1.l.2.r.19
12.Iunij.	v.1.l.2.r.20
vlt.Iunij	v.1.l.2.r.19
vlt.Iunij	v.1.l.1.r.7
7.Octob.	v.1.l.1.r.10
29.Octob.	v.1.l.2.r.3

1547.

16.Febr.	v.1.l.2.r.15
21.Febr.	v.1.l.2.r.29
28.Febr.	v.1.l.2.r.15
26.Martij	v.1.l.1.r.12
10.April.	v.1.l.1.r.13
penult.April.	v.1.l.1.r.10
12.Octob.	v.1.l.2.r.29
19.Octob.	v.1.l.2.r.9
26.Octob.	v.1.l.2.r.2
10.Decemb.	v.1.l.2.r.1

1548.

9.Ian.	v.1.l.1.r.13
11.Ian.	v.1.l.2.r.22
22.Febr.	v.1.l.2.r.5
23.Iunij	v.1.l.2.r.4
11.Iulij	v.1.l.2.r.5
4.Septemb.	v.1.l.2.r.5
4.Septemb.	v.1.l.2.r.18
3.Nouemb.	v.1.l.2.r.5
27.Nouemb.	v.1.l.1.r.4
27.Nouemb.	v.1.l.1.r.4

1549.

28.Ian.	v.1.l.2.r.26
29.Ian.	v.1.l.2.r.1

14 Febr.	v.1.l.3.r.1
13.Mart.	v.1.l.3.r.3
17.Iulij	v.1.l.1.r.7
16. Septemb.	v.1.l.2.r.5
18. Septemb.	v.1.l.2.r.25
20.Nouemb.	v.1.l.1.r.7
6.Decemb.	v.1.l.2.r.19
21.Decemb.	v.1.l.2.r.21
1550.	
29.April	v.1.l.1.r.7
penult.Maij	v.1.l.1.r.7
27.Maij	v.1.l.2.r.24
15.Iun.	v.1.l.2.r.4
22.August.	v.1.l.2.r.3
25.Septemb.	v.1.l.1.r.7
3.Decemb.	v.1.l.2.r.25
1551.	
4.Mart.	v.1.l.2.r.6
8.Mart.	v.2.l.1.r.10.
14.Mart.	v.1.l.2.r.25
13.April.	v.1.l.2.r.11
15.April.	v.1.l.2.r.1
3. Jun.	v.1.l.1.r.16
5.Iulij	v.1.l.1.r.3
19.Iulij	v.1.l.2.r.1
22.August.	v.1.l.2.r.3
12.Septemb.	v.1.l.2.r.19
19.Septemb.	v.1.l.2.r.25
9.Octob.	v.1.l.2.r.26
24.Octob.	v.1.l.2.r.19
4.Nouemb.	v.1.l.2.r.17
9.Decemb.	v.1.l.2.r.29
1552.	
13.Ian.	v.1.l.1.r.13

13.Ian.	v.1.l.2.r.19
1.Febr.	v.1.l.1.r.13
23.Mart.	v.1.l.2.r.5
April.	v.1.l.3.r.3
13.Jun.	v.1.l.2.r.27
2.Iulij	v.1.l.2.r.29
12.Decemb.	v.1.l.1.r.10.
1553.	
28.April.	v.1.l.2.r.30
30.April.	v.1.l.2.r.26
vlt.Septemb.	v.1.l.2.r.16
5.Octob.	v.1.l.2.r.5
22.Octob.	v.1.l.2.r.6
27.Octob.	v.1.l.2.r.25
1554.	
7.Iunij	v.1.l.2.r.12.
24.Iunij	v.1.l.2.r.30
1555.	
7.Maij.	v.1.l.1.r.9
15.Iunij	v.1.l.2.r.4
5.Octob.	v.1.l.2.r.29
1556.	
25.Febr.	v.2.l.1.r.10
17. Aprilis	v.1.l.2.r.4
19.Maij	v.1.l.3.r.2
vlt.Maij	v.1.l.3.r.2
vlt.Maij	v.1.l.2.r.25
15.Iunij	v.1.l.1.r.1
17.Iunij	v.1.l.1.r.5
1558.	
vlt.Febr.	v.1.l.2.r.11
14.Mart.	v.2.l.2.r.13
1559.	
26.Ian.	v.1.l.3.r.25

1560.	
31.August.	v.1.l.2.r.7
2.Septemb.	v.1.l.1.r.1
1561.	
6.Decemb.	v.2.l.2.r.2
1563.	
vlt. Octob.	v.2.l.1.r.3
vlt.Octob.	v.2.l.2.r.1
1565.	
24.Iulij	v.2.l.1.r.2
1566.	
1.Maij	v.2.l.1.r.1
1567.	
20.Septemb.	v.2.l.2.r.11
1569.	
4.Mart.	v.2.l.1.r.1
1570.	
3.Februarij	v.2.l.2.r.4
19.Maij.	v.2.l.1.r.1
1571.	
5.Mart.	v.2.l.2.r.5
vlt.Octob.	v.2.l.2.r.12
1574.	
16.Iunij	v.2.l.2.r.14
1575.	
16.Iunij	v.2.l.3.r.1
4.Iunij	v.2.l.2.r.11
10.Septemb.	v.2.l.2.r.10
1576.	
16.Iunij	v.2.l.1.r.3
vlt.August.	v.2.l.2.r.9
1580.	
vlt.Iulij	v.2.l.2.r.13
1581.	
25.Martij	v.2.l.2.r.17

1582.	
22.Febr.	v.2.l2.r.17
26.Mart.	v.2.l.1.r.1
8.Iunij	v.2.l.1.r.5
1583.	
10.Ian.	v.2.l.2.r.9
10.Ian.	v.2.l.3.r.1
1585.	
18.Febr.	v.2.l.1.r.5
4.Octob.	v.2.l.2.r.10
1586.	
vlt.August.	v.2.l.1.r.5
6. Decemb.	v.2.l.3.r.1
1587.	
7.Febr.	v.2.l.1.r.1
15.Maij	v.2.l.2.r.8
15.Maij	v.2.l.2.r.17
26.Maij	v.2.l.1.r.2
1.Iunij	v.2.l.1.r.2
vlt.Octob.	v.2.l.2.r.5
1588.	
15.Nouemb.	v.2.l.2.r.9
1589.	
6.April.	v.2.l.2.r.8
22.Iunij.	v.2.l.1.r.4
vlt.Octob.	v.2.l.2.r.7
5.Decemb.	v.2.l.2.r.11
1590.	
16.April.	v.2.l.2.r.14
10.Iul.	v.2.l.2.r.9
2.August.	v.2.l.2.r.1
1591.	
21.April.	v.2.l.2.r.17
6.Maij	v.2.l.2.r.5

11.August. v.2.l.2.r.5

1592.

7.Ian. v.2.l.2.r.17
3.Iunij v.2.l.2.r.8
20.Iulij v.2.l.1.r.1

1593.

25.Ian. v.2.l.2.r.17
19.Februarij. v.2.l.1.r.1
21.Iunij v.2.l.2.r.8
15.Decemb. v.2.l.2.r.6

1594.

16.April. v.2.l.3.r.1
18.April. v.2.l.2.r.8
23.Iulij v.2.l.1.r.6
23.Iulij v.2.l.2.r.15

1595.

17.Septemb. v.2.l.2.r.16
27.Nouemb. v.2.l.1.r.3

1596.

5.Ian. v.2.l.2.r.11
27.Maij v.2.l.2.r.17

1597.

8.Martij v.2.l.2.r.9
3.April. v.2.l.2.r.17
5.April. v.2.l.1.r.1
10.Septemb. v.2.l.2.r.19

1598.

12.Octob. v.2.l.2.r.10

1599.

12.Martij v.2.l.2.r.10
8.Maij v.2.l.2.r.9
8.Iulij v.2.l.1.r.3

1600.

8.Maij. v.2.l.2.r.6
1[illegible].Iunij v.2.l. 1
15.Iunij v.2.l.2 1

1601.

20.Mart. v.2.l.2.r
13.Aprilis v.2.l.2.r
15.Maij v.2.l.1
25.Iunij v.2.l.2.

1602.

12.Iulij v.2.l.2.r
13.Iulij v.2.l.1.

1605.

2.Jan. v.2.l.2.
10.Martij v.2.l.1.r.
24.Martij v.2.l.1.
22.Aprilis v.2.l.2.r.1
19.Nouemb. v.2.l.2.r.

1606.

23.Iun. v.2.l.1.1
22.Decemb. v.2.l.2.r.

1607.

29.Febr. v.2.l.2.r.
20.Septemb. v.2.l.1.r
26.Octob. v.2.l.1.r.
22.Decemb. v.2.l.1.r.

1608.

vlt.August. v.2.l.2.r.
20.Octob. v.2.l.2.r.

1609.

vlt.August. v.2.l.2.r.
24.Octob. v.2.l.2.r.
vlt.Decemb. v.2.l.1.r.

1610.

29.Ian. v.2.l.1.r.
vlt.Ian. v.2.l.2.r.[illegible]

6.Mart.

6.Mart.	v.2.l.2.r.4
1.April.	v.2.l.2.r.17
1611.	
9.Februarij	v.2.l.2.r.11
3.Iulij	v.2.l.1.r.3
12.Iulij	v.2.l.3.r.1
12.Iulij	v.2.l.3.r.1
5.Augu∫t.	v.2.l.1.r.3
10.Septemb.	v.2.l.3.r.1
18.Nouemb.	v.2.l.3.r.1
28.Nouemb.	v.2.l.3.r.1
1612.	
14.April.	v.2.l.2.r.6
24.Nouemb.	v.2.l.2.r.9
1613.	
2.Maij.	v.2.l.2.r.2
vlt.Augu∫ti	v.2.l.2.r.3
vlt.Septemb.	v.2.l.2.r.1
2.Octob.	v.2.l.1.r.1
1614.	
vlt.Ian.	v.2.l.2.r.17
15.Octob.	v.2.l.2.r.1
25.Octob.	v.2.l.1.r.8
1616.	
20.Febr.	v.2.l.1.r.1
1.Iulij	v.2.l.1.r.4
14.Decemb.	v.2.l.2.r.16
1617.	
22.Febr.	v.2.l.2.r.17
8.Augu∫t.	v.2.l.1.r.9
28.Septemb.	v.2.l.1.r.3
1618.	
16.Ian.	v.2.l.2.r.14
3.Mart.	v.2.l.3.r.1
28.Mart.	v.2.l.2.r.9
9.Maij	v.2.l.1.r.6
21.Maij	v.2.l.2.r.6
20.Iun.	v.2.l.2.r.17
1619.	
5.Iunij	v.2.l.2.r.3
1.Iulij	v.2.l.1.r.3
11.Iulij	v.2.l.1.r.8
17.Iulij	v.2.l.1.r.5
21.Septemb.	v.2.l.2.r.6
21.Nouemb.	v.2.l.1.r.5
1621.	
21.Ian.	v.2.l.2.r.5
21.Ian.	v.2.l.3.r.1
21.Ian.	v.2.l.3.r.1
8.Mart.	v.2.l.2.r.17
13.Augu∫ti	v.2.l.2.r.9
1622.	
20.Octob.	v.2.l.2.r.11
20.Octob.	v.2.l.2.r.7
vlt.Octob.	v.2.l.2.r.6
1623.	
14.Iunij	v.2.l.2.r.17
4.Septemb.	v.2.l.2.r.9
4.Septemb.	v.2.l.2.r.9
27.Octob.	v.2.l.3.r.1
vlt.Octob.	v.2.l.3.r.1
18.Nouemb.	v.2.l.3.r.1
29.Nouemb.	v.2.l.3.r.1
1624.	
20.Aprilis	v.2.l.1.r.5
11.Iulij	v.2.l.2.r.17
10.Decemb.	v.2.l.2.r.17
1626.	
penult.Maij.	v.2.l.3.r.1

13.Junij	v.2.l.3.r.1
13.Iul.	v.2.l.3.r.1.
26.Octob.	v.2.l.2.r.17
1627.	
27.Febr.	v.2.l.2.r.6
12.Mart.	v.2.l.2.r.10
26.Mart.	v.2.l.2.r.8
3.April.	v.2.l.2.r.17
20.April.	v.2.l.2.r.14
27.April.	v.2.l.2.r.6
2.Maij	v.2.l.3.r.1
4.Iunij	v.2.l.2.r.
vlt.Iulij	v.2.l.2.1
6.Octob.	v.2.l.2.1
14.Octob.	v.2.l.2.r
11.Nouemb.	v.2.l.2.r
1628.	
13.Iun.	v.2.l.2.r
21.Iulij	v.2.l.3.r
31.Iulij	v.2.l.3.r
1629.	
3.Nouemb.	v.2.l.3.r

IN

INDEX
RERVM.

A.

Arborum

F.

K.

L.

M.

Mater

Qq 2 Vasal-

APPROBATIO.

PRomitur Lector, *Notitia Iuris Belgici*, eruditè descripta, operâ & labore Clarissimi viri ac Reuerendi admodum Domini *Francisci Zypæi I. C. Canonici, Officialis*, nec non *Archidiaconi Antuerpiensis*, complectens ea maximè quæ nupero sæculo ex moribus & Principum Constitutionibus edita sunt; cumque nihil verbo Dei ac bonis moribus contrarium habeat, meritò euulgabitur. Datum Antuerpiæ 14. Ian. 1635.

ZEGERVS VAN HONTZVM Canonicus & Pœnitentiarius Antuerp. Librorum Censor.

Summa Priuilegij.

P*Hilippus Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis citra Hieronimi Verdussij Typographi Antuerpiensis volũtatẽ librũ, cui titulus,* Notitia Iuris Belgici, *Auctore* Francisco Zypæo I.C. Canonico, Officiali, &c. Antuerpiensi. *intra decennium imprimat; aut alibi impressum in Belgium inferat, venalémve exponat: qui secus faxit confiscatione librorũ & aliâ graui pœnâ mulctabitur. vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ mensis April. 1635.*

Signat

Loyens.







